



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

2

# JURISPRUDENTIA FUNDAMENTALIS.

SEU

## PRIMA, ET IMMOTA PRINCIPIA TOTIUS JURIS- PRUDENTIAE.

In Almâ & Archi-Episcopali Uni-  
versitate Salisburgensi:

P R A E S I D E

## JOSEPHO BERNARDO K L E T L E

J. U. D. Celsissimi & Reverendissimi Prin-  
cipis & Archiepiscopi Salisburgensis &c. &c.  
Consiliario, Codicis & Juris publici Professore  
Ordinario.

P U B L I C A D I S Q U I S I T I O N I S U B I E C T A

A

## JOANNE FRANCISCO BECKH, de & in wilmendingen Viennensi Austriaco.

Ad diem 3. Septembri Anno 1691.

---

S A L I S B U R G I,

Typis JONNIS BABPTISTÆ M A Y R , Typographi Aulico-  
Academici.



# APPROBATIO

## Sacrae Facultatis Theologicæ.

**I**n primis errat principiis, qui sine primis, immotis, & inconcussis totius Jurisprudentiae principijs aulam, forum, curiam &c. adire præsumit. Jurisprudentiam fundamentalem non prius cum fundamento callere, est se vasto oceano sine clavo & remis committere, quò latius vela explicabit, eò se latius implicabit: pro cynosura ergo deserviant hæc prima, immota & inconcussa Principia, sanis morum, sanctisque fiduci principijs accommodata, & ab Authoris singulari ingenio, ac solidissimâ Doctrina ad captum proposita, & exactissimè pro publica utilitate ad iustitiae lancem examinata. Ita censes

**P. HONORIUS AIGNER, Ord.**  
S.Benedicti, in Monasterio Cremifanensi Austriæ superioris Professus, SS. Theologiaz Doctor, & Professor Ordinarius, ejusdemque p. t.  
Decanus.

APPRO.

# APPROBATIO

## Facultatis Juridicæ.

**H**Æc prima fundamenta totius Jurisprudentiae ex principijs  
tam Theologicis, quam Juridicis desumpta, ac magno la-  
bore solidissimè congregata, tam prælo, quam prælio Academico di-  
gnissima censio

**ANTONIUS HERMES Dr.**  
Celsissimi & Reverendissimi  
Principis Consiliarius, Pan-  
deistarum Professor Ordina-  
rius, & Facultatis Juridicæ p. t.  
Decanus.

**PRA-**



## P R A E F A T I O *Ad benevolum Lectorem.*

**S**ULLA ALIA, certò disciplina Juris infelici fato regitur, quod tam pauci occurrant, qui excolendæ studium pertinax ac indefessum impendant. Themidi illustrandæ innumerí libri componuntur, ac detersâ preli fuligine, quotidie in lucem fumant: Sed paucos invenias, candido lapillo dignos. Nemo non scriptat: sed rari occurunt, qui manum seriam, & calamo scientifico instructam, Jurisprudentiaz exornandæ admoveant. Quam multos reperias, qui doctrinâ sufficiente non instructi, ac nescio, quam intemperie ad scribendum abrepti, festinatis votis id dant seculo, quod pudorem mox suis excusat Authoribus. Hi, dum sententias ad lucernam non examinant: dum ordine sua non digerunt, sed temere chartis illiniunt, & calore præpropero effundunt: futilia, non utilia: laborata, non elaborata: ex alieno sine fronte sublecta, non electa: lutulenta non luculenta: verbo, libros, thuris piperisque cucullis aptos, ac æternis dignos tenebris, obscurò partu in lucem protrudunt. Hinc sententia hodie vix ulla occurrit tam absurdâ, que patronum non inveniat: causa vix ulla tam conclamata, cui author impressus non suffragetur: opinio vix ulla tam projecta, quam non liber, typis excusus, calculo suo muniat. Cerè, si ætate Flavii nostri Jurisprudentia mole suâ visa est laborare, novo Justiniano hodiéque opus esse dixeris, à quo Scriptorum Juridicorum intemperies castigetur. Libros sanè omnes, Juri non tam excolendo, quam corrumpendo hucusque editos, si intueri liceret, in unum cumulum congestos, moles occurreret, suppar turri Babylonice.

*Sed & iij, qui ingenio valent, ac copiosâ juris scientiâ sunt instruendi oculum*

oleum operamque male quandoque collocant, dum infinitis allegati-  
num plastris implent paginas: dum nervos omnes in id dirigunt, ut  
dogmata & opiniones aliorum operose convellant: dum copiosæ le-  
ctionis ostendandæ gratiâ, eruditio[n]es varij generis corradunt, at va-  
nissimâ industria in scripta sua infatciunt: dum subtilitates philosophi-  
cas, & quæstiones de lanâ caprinâ labore pudendo invehunt in Juris-  
prudentiam.

Ad solos profectò commentarios & libros, Institutionibus cluci-  
dandis editos, si respicias, in plerisque rudem ac indigestam doctrinæ  
molem obtrudi. Lectori videoas; neque multos reperias, ex quib[us] soli  
dam Juris scientiam haurire, cupidæ legum juventuti liceat.

Sunt, qui labore tam operoso Institutiones pertractent, ut integræ  
pene Digesta in elementarios libros hosce congerant: quâ scriben-  
di luxuriâ in libros Institutionum post alios, commentatus est, *Joannes Harprecht.* Sed hi obsunt, non prostrunt studioso[i] juris: nam, ut sapienter  
monet Imperator in §. 2. *De Just. & Jur.* si initio statim rudas adhuc, &  
infirmus studiosi animus multitudine ac varietate rerum oneretur, duorum  
alterum eveniet, ut aut desperat studia, aut cum magno labore, sepe cum dif-  
fidentia, serius ad id perducatur, ad quod leviore via duxit, sine magna  
labore maturius perduci potuisset.

Sunt alij, qui materias, in titulis singulis contentas, vellicent potius,  
quam explicitent, neque regiam integræ doctrinæ viam teneant,  
sed nullo ordine hinc inde, palabundi velut, errant ac vagentur: quod  
scribendi genus: *Antonio Matthæo, Scotano, Jacobo Wissenbach.* & pluri-  
bus aliis placuisse video.. Sed ex horum libris plenos doctrinæ mani-  
pulos colligere vix possis.. Spicas potius, ex Jure hinc inde deprom-  
ptas, quam integrum messem porrigitur.

Sunt non pauci, qui singula paragraphorum capita eo ordine,  
quo in libris Institutionum se offerunt, exponant, ac notis & commen-  
tariis illustrant. Sed hic ordo & prolixus est, & à scientificâ tractandi  
methodo alienus: actametsi industriam præferat; Lectori tamen nau-  
seam parit & fastidium:

Sunt rursus alij, qui non tantum morosam singulorum paragraphorum  
anatomiam instituant, sed in jus obsoletum quoque, ac à Prince-

pe. *suo* *antiquum*, curiosissimè inquirunt: cuius eruditio*nis* gloriā ambire impensis*simē* videntur, *Bacchovius & Vinnius*. Sed hi pro granis ianæ non raro paleas cupidæ legum juventuti venditant. Cer-te molestia non caret, ea operosè addiscere, quæ eruditio*nis* laudea quidem afferunt, sed fructu vacuam.

Reperias contra alios, qui textibus ip*sis* sicco pede præteritis, ianæ materias quavis occasione habenis effusissimis excutunt: quæ intemperie præ aliis turget *Schneiderinus*. Sed neque hos laudare possis: tūm enim tituli singuli domi suæ satis sint divites, cur, quæsto? stipem aliunde iis conquitamus?

Occurrunt rursus alij, qui neque vestigia, à Justiniano impressa, legunt, neque paragraphos, in scientiæ um ordinem redactos, offerunt; sed sub quovis titulo varijs quæstiones, sine nexu, sine nitore, opera tumultuaria conscripas, exhibent. Nec guttulam in horum libris reperias, quæ lucernam oleat. De his sanè dicere ausum, quod præ omnibus alijs perniciose laborent; non enim tantum à limpidissimis tex-tuum fontibus Lectorem abducunt, sed dum limite nullo coerciti temere effunduntur, in certuin præcipitij periculum deducunt.

Sed & iij. impensè displicent, qui doctrinam juris alto velut super-tilio despiciunt, & quasi indecorum sit, severà commentatione libros Institutionum prosequi, varijs eruditio*nib*us, è Græcia & antiquo Latio de*promptis*, utramque implent paginam: quod genus commentandi post alios artifissè video *Antonio Marthæo*, filio magni illius Marthæi, qui Jurisprudentiam criminalem nobilissimo Commentario illustravit. Sed, ô humanæ mentis temulentiam! Vitam agimus brevissimam: tempus periclitum, non gressu, non cursu, non volatu recedit, sed momen-tus singulis, non tam fluit, quam rapitur: nos tamen inter hæc tempo-ris præcipitia optimos quoque dies studio sterili, & infœcundo frangi-mus. Agit nos, agiturque velox dies, & nos tempus, laboribus seriis idonum, motilis eruditio*nis* disciplinâ perdimus. Fures temporis commentariostales dixeris, quod xtatem, industrie fructuosæ destina-tam, vanissimæ eruditio*nis* studio configant, ac sperato fructu discipu-los hiantes fraudent.

Reperias denique alios, qui ex singulis paragraphis regulas colli-gant,

gant, easque deinde innumeris ampliationibus & limitationibus par-  
tim extendant, partim coerceant. Sed his quoque jure succensas: nam  
& memoriam, angustis finibus circumscriptam, farragine illâ onerant:  
&, quod verbulo, conclusio aut regulæ adjecto, indicari poterat, su-  
perfluâ curâ molestè ingerunt. Verbo, vix ullum invenias, in quo  
non multa occurrant, virgulâ censoriâ, ac reprehensione digna.

Studium Juris Imperator Justinianus in oratione ad Antecessores  
quinqueanio circumscripsit. Sed dubites, an tempus tam breve absolu-  
vendo legum studio sufficiat. Omnia spinis inhorruisse videoas. Juris  
non Civilis tantum, sed Canonico, Feudali, & Publico impendenda  
opera: cui legum moli deglutiendæ, ac digerendæ, quinquennium suf-  
ficere, vix persuaferis. Sed aquam è pumice elicio, litora loquor, At-  
strum percello! Quotusquisque enim hodie disciplinæ Juris quinquenniū  
impedit? A multis ægrè triennium in Academiis absumi videoas. Sunt,  
qui sacrâ Themidem vix è limine salutent, ac libellum repudij jam tcho-  
lis mittant, crudaque & impolita studia in forum propellant, cum inge-  
ni detimento Republicæ. Hinc ubique locorum tot occurrunt rabu-  
liæ forenses, togati vultures, privi legiarij erumenicidæ, honorati praedo-  
nes, qui, tametü jura primis vix labiis delibaverint, legum tamen noti-  
tiam plenis buccis crepant, ac nescio, quâ temerariâ fiduciâ in foro cau-  
fas orare sustinent, melius edocet, quid juris, quam quid Iuris.

Age vero! quia ea dudum impatientia invasit juvencum animos,  
ut juribus addicendis ægrè quinquennium in Academiis absumant, de-  
feramus præproperis eorum votis, ac tentemus, an non breviore tempo-  
ris compendio ad solidam jurium notitiam perduci possint. Id sanè  
præstare in præsenti Commentatio pro viribus conabor, ac toto nisu con-  
tendam, ut fundamenta jaciam, quibus insistere si quis vesit, confidere  
reliquum juris iter paucorum annorum labore possit. Prædeesse omni-  
bus studebo, adeoque non iis tantum, qui in juris studio & studio magnis  
jam passibus progressi sunt, sed illis quoque, qui in vestibulo adhuc con-  
stituti, penetralia imaginæ Themidis pede auspicato ingredi desiderant.

Ordinem hunc servabo. Paragraphos singulos, utilitate aliquâ  
conspicuos, methodice sub quovis titulo explicabo, ac turbato ordine  
egram in ordinem: experientiâ eam didici, viâ non alia studioflos ju-

ris ad solidam legum notitiam felicius deduci, quam methodica, illâ præsertim, quâ causæ vocantur in subsidium. Nam per causas qui procedit, à notioribus progreditur ad minus nota, dumque causis singulis regulas generales assuit, oracula quasi fundit, ex quibus conclusiones varias colligere, absque magno labore cuivis perspicaci liceat. Deinde, illa demum scientia solido suffulta fundamento creditur, quæ subnascitur ex cognitione causarum. Ad hæc, duin constanti ordine omnia traduntur, summopere juvatur memoria, quæ integrum doctrinæ seriem facillimè complectitur, si media cum primis, & ultima cum mediis, concatenatâ serie cohærent.

Nimirum, segnis, lenta, fallax, & rimarum plena est memoria nostra, ac fuis ipsa finibus arctatur. Reminiscentia tam felicis neminem reperias, qui omnia, quæ legerit, retineat, ac è memoria, velut stamen è panno, sciat trahere. Memorizæ ingens subsidium afferit methodus, ac quod oblivio eidem surripit, beneficè restituit. Labat & vacillat memoria nostra, ubi decet adjumentum ordinis. In arenâ vel aquâ scribitur, quod sine ordine traditur memorizæ. Si in ullâ alia scientiâ, certè in Jurisprudêcia fidele requiritur officium memorizæ. Hinc omni opera enitendum, ut, quod viribus naturæ obtineri non potest, arte suppletatur, ne labor omnis intereat. In juribus tradendis qui ordinem negligit, laborem supra modum auget, ac ægerrimè ingerit, celerrimè clapsura.

ura Pandectarum, ac Codicis sobrietè, & cum delectu delibabo, in quantum videlicet postulabit integritas materia, & iusta doctrinæ series. Toto enim errant judicio, qui censem, principia, in paragaphis Institutionum comprehensa, tam copiosa esse, tamque luculenta, ut iis cognitis, studioso juris liceat in reliquo Thermilogia studio, inoffenso pede progredi. Passim in scopulos incurvat, necesse est, qui doctrinam non aliam, quam Libris Institutionum contentam, ore sicco ac junio haufit.

Definitiones accuratissimas procudere conabor, non ignorans, quantum momenti in iis sit positum. Cùm enim essentiam cuiuscunque rei exhibeant, in sola definitione tota quasi materia uno velut obtutu studio Lectori sistitur. Certè, si elaborandis definitiōibus impensiorem operam

operam alii contulissent, omittere potuissent innumeras ampliationes & limitationes, quibus memoriam discentis non tam juvant, quam obruunt.

Divisionibus quoque accurate concinnandis studebo, memor proverbii illius: *qui bene distinguit, bene docet.*

Fundamenta ubique solida conabor adstruere, ac ubi licebit, rationes quoque subnectam; illas quidem paucas, firmas tamen, ac ad convincendum intellectum idoneas. Neque enim imitari illos decorum foret, qui rationes quidem magno numero addensant, quas tamen si explorare oculatius sustineas, caduco pariere subnixas esse deprehendes.

Intra cancellos instituti severè me coercebo, neque in materias, à scopo alienas, inconsulto pede excurram; non ignarus, in erroris foveam facile perduci, qui relictâ basilicâ, nunc ad dextram, nunc ad sinistram temerè deflectit.

In referendis Authoribus, quantum licebit, parcus ero, & modicus, nequè facilè authoritates addensabo, nisi ubi materię gravitas id exigit. Nunquam sane approbare potui vanissimum eorum studium, qui, ut ingentia volumina in lucem edant, infinitis allegationibus implent paginas, densi authoritatibus, argumentis vacui. Conclusiones certissimas, & ex legibus evidenter deductas, testimonij Authorum instruunt; quā industriā, quid aliud agunt, nisi quod Soli à nebulis & nubibus splendorem accertere, futili labore satagant.

Stylo utar, ad coticulam latialeм elimato quidem; plāno tamen, facilī, & familiari, ac quem is tantū non assequatur, qui primum vix pedem intulit in latinitatis atriuin. Quod si Deus vires & vitam concesserit, eādem methodo reliquos juris libros concinnabo.

Sed diu, jam satis in vado hælimus. Si bene adverto, alma Thematics aurem vellicat, ac amicē moneret, ut

*Litore deserto navis jactetur in altum.*

*Fumbus abrupsis, pateant binc carbasa ventus.*



# DISSERTATIO Praeambula

## *De Libris Juris, eorumque Autho- ritate.*

**I**ngenti admiratione desigor, dum perpendo, plerosque ex iis, qui elementarios Iuris libros conscribunt, tam incuriosus esse, tamque socordes, ut studioso Juris neque iter praesignent, quod decurrentum, neque terminum monstrent, qui attingendus, ut ad scopum praeinitium felici cursu pertingat. Jaculatorem non immerito rideas, si metu non conspecta, sagittam emittere, ac destinato ictu medium scopum tangere sustineat. Studiosus juris quoque cæco gressu procedat, necesse est, si profectio accinctus, ac ad lustrandas immensas jurium plagas expeditus, ignoret, quæ semita sit insistenda; ad dextram, an sinistram deflectere expediat. Antequam proinde labore principi accingar, in ipso operis ingressu libros Juris recensebo, ac de authoritate eorum differam, ut sciat futurus Legum Auditor, quas vias peragrare debeat, si pervenire ad scopum præstitutum velit; ac quos Libros flexo in reverentiam pede reverenti neceesse habeat, quos, tanquam auctoritate vacuos, impune possit sperare.

### §. I.

#### *De Libris Juris Canonici.*

##### S U M M A R I A

1. *Quinam dicuntur libri Canonici, qui Civili-los.*
2. *Recensentur libri concessi in eoque iurius Ca-  
nonici.*
3. *Decretum Gratiani unde non habeat, ne-  
quid consentaneum.*
4. *Sicne Decretum Authenticum; an Apogeum  
phum?*
5. *Quid continetur in libris V. Decretalium?*
6. *Quid in sexto?*
7. *Clementina unde dicta?*
8. *Extravagantes unde nomina habeantur?*
9. *Liber*

## Dissertatio

9. Liber II. Decretalium. habetne auctoritatem juris.
10. Sintne Authentica Institutiones Cancelleri?
11. Recensetur libri, qui occursum extra corpore juris Canonici.
12. De Concilio Tridentino.
13. De Ballio Magno.
14. De Regulis Cancelleriae.
15. Declarationes Cardinalium sintne Authenticata.
16. Decisiones Rota Romana obtinente Authenticeam juris.

**L**Ibri Juris duorum sunt generum, Canonici & Civiles. In illis traditur Jus Pontificium: in his Cæsareum.

Ex Libris Canonicis quidam sedem suam habent in corpore Juris Canonici: alij, incerto velut lare, vagantur extra. Corpus Juris Canonici sex constat partibus: *Decreto Gratiani*: *Decretalibus Gregorij IX*. *Sexto Decretalium Bonifacij VIII*. *Clementinis Clementis V*. *Extravagantibus Joannis XXII. Extravagantibus communibus*.

### DECRETUM GRATIANI.

**D**ecretum Gratiani à compilatore suo Gratiano, monacho Benedictino, nomen habet: in quod infarsit varias Constitutiones SS. Pontificum: Statuta Conciliorum tum generalium, tum particularium: Sententias SS. Patrum: Leges Romanas: ac denique opiniones proprias.

Decretum hoc, sitne authenticum, an apocryphum? non una omnium sententia. Frequentioribus tamen Doctorum calculis comprobata opinio est, esse partim authenticum, partim apocryphum. Authenticum quoad ea capita, quorum Author potestatem habuit ferenda legi Ecclesiastice: quoad reliqua apocryphum. Quae sententia demonstratur hac apodixi. Gratianus potestatem non habuit ferendam legum, quia fuit homo privatus; neque ullus hactenus SS. Pontifex Decreto impertitus est auctoritatem Juris: ergo singulæ Decreti partes reducendæ sunt ad auctoritatem suam primævam. Itaque si caput occurrat, quod Concilium generale, aut SS. Pontificem auctorem laudet, agnoscendum est pro authenticō: cùm enim totum volumen à Gregorio XIII. sub limam sit vocatum, meritò presumimus, constitutiones singulas matrici suæ respondere. Si verò sententia S. Patris, aut opinio privara ipsius Gratiani se offerat, auctoritatem juris non meretur. Quod si denique constitutio Civilis occurrat, ac materiam attingat, potestati sacerdotali obnoxiam, auctoritatem juris obtinet, non quod à Gratiano referatur, sed quia constat, ex libro Authentico esse de prom-

## De Libris Juris.

9

depromptam. *P. Engel Coll. Jur. Can. in proœm. n. 5. P. Pirrhing lib. v.  
Jur. Can. in Proœm. §. 5 n. 22. Clariss. Dn. Collega P. König in proœm. Jur.  
Can. n. 4. Clariss. Dn. D. Waller*, Amicus, plurimis titulis mihi colendissi-  
mus, in quæst. Sel. ex Jur. univers. quæst. I. n. 6.

## LIBRI V. DECRETALIUM.

**L**ibri quinque Decretalium continent varia Rescripta SS. Pontificum,  
jussu Gregorij IX. à Raymundo, Capellano Eius, congesta, ac titulis  
variis, atque capitibus distincta. Summam librorum complexi sunt  
*Glossographi* hoc versiculo:

*Judex: Judicium: Clerus: Sponsalia: Crimen.*

## LIBER VI. DECRETALIUM.

**L**iber VI. Decretalium complectitur varia Rescripta SS. Pontificum,  
jussu Bonifacij VIII. collecta. Dividitur ad normam voluminis prio-  
ris, in V. Libros: Libri in eosdem titulos, in quos Libri V. Decretalium.

## CLEMENTINÆ.

**C**lementinæ à Clemente V. authore suo, nomen habent, qui eas con-  
cepit; morte tamen præventus non promulgavit; hanc enim præro-  
gativam sibi vendicat Joannes XXII. qui auctoritate Apostolicâ easdem  
evulgavit.

## EXTRAVAGANTES.

**C**lementinis succedunt Extravagantes, ex eo sic dictæ, quod extra  
corpus juris, incerta velut sede, antehac sint vagatæ. Dividun-  
tur in communes, & Extravagantes Joannis XXII. Illæ Pontificibus va-  
tis: Hæ Joanni XXII. auctoritatem juris referunt in acceptis.

## LIBER VII. DECRETALIUM.

**N**Ovissime in lucem prodit, ac recentioribus exemplaribus Corpo-  
ris Canonici insertus est Liber VII. Decretalium: quem ex variis re-  
centiorum Pontificum constitutionibus compilavit Petrus Matthæus,  
Jctus Lugdunensis. Volumen hoc, tametsi meras complectatur con-  
stitutiones Pontificias; auctoritatem juris tamen non obtinet, quia in-  
dustriâ privatâ, non jussu alicuius Pontificis coaluit; neque sufficienter  
constat, an constitutiones singulæ originalibus suis respondeant. *P. En-  
gel d. loc. n. 11. Clariss. Dn. D. Waller. cit. loc. n. 10.*

## INSTITUTIONES LANCELLOTI.

**A**ccesserunt quoque recentioribus exemplatibus Institutiones Juris Canonici, quas Lancellotus, Ictus Perusinus, conscripsit. Sed **cave**, auctoritate juris eas digneris. Tametsi enim iussu Apostolico sint concinnatae; haec tenus tamen nullus Pontifex plenissimum Constitutionum robur iisdem accommodavit.

**i** Extra corpus Juris Canonici occurrunt: *Concilium Tridentinum: Bullarium magnum: Regule Cancellariae: Declarationes Cardinalium: nec non Decisiones Rota Romanae: de quorum librorum auctoritate breviter.*

### CONCILII TRIDENTINI.

**C**oncilium Tridentinum, constitutionibus gravissimis plenissimum, sine controversia auctoritatem juris obtinet, quia imperio & auspiciis trium SS. Pontificum legitimè coaluit.

### BULLARIUM MAGNUM.

**B**ullarium magnum, diversis SS. Pontificum constitutionibus referatum, auctoritatem juris non habet, quia nullus haec tenus Pontifex testatus est, quod singulæ constitutiones matrici sive congruant. *P. Engel ubi supra n. 8. Clariss. Dn. D. Woller cit. loc. n. 12.*

### REGULÆ CANCELLARIAE.

**R**egulæ Cancellariae sunt certæ ordinationes, ad Officiales Cancellariæ à Pontifice directæ, quibus certum ordinem & normam in rebus agendis observare jubentur. Deflectunt hæc Regulæ à Constitutionibus aliis, quod cum Pontifice exspirent, nec vires ante resumant, quam à novo Pontifice renoventur. Hinc non sapiunt naturam veræ legis, quia hæc suæ naturæ est stabilis ac perpetua *arg. l. 3. C. De edendo.* Obtineantne prædictæ Regulæ vim juris extra curiam Romanam, jam non excutio. Vide *Gibalini. tom. 3. Scient. Canon. Lib. 9. cap. 4. quest. 3. per tot.*

### DECLARATIONES CARDINALIUM.

**D**eclarationes Cardinalium, si intra præfixos terminos consistant, ac mudam interpretationem Concilij Tridentini afferant, obtinerent evidenter prærogativam juris, cum illucescant Authoritate S. Pontificis. Quia tamen in eadem quandoque materia occurrunt Declarationes com-

variae, sedem non aliter merentur, quam si producantur in forma authenticā. P. Engel d. loc. n. 16. Clariss. Dn. D. Woller ubi supra n. 12.

## DECISIONES ROTÆ ROMANÆ.

**D**ecisiones Rotæ Romanæ, tametsi auctoritate non leviter polleant; 16  
viam juris tamen non obtinent; partim, quia constat, in ipsa Rotæ  
decisiones rotari, ac quæ tanquam juris bajulæ antehac eminebant, per  
decisiones contrarias de gradu dignitatis sive dejici: partim, quia suffi-  
cienter non constat, Augustos Rotæ Proceres à S. Pontifice eâ autho-  
ritate esse instructos, ut jus novum possint condere. *Gibal. ubi supra, queſt.*  
§. P. Engel. d. loc. n. 17. Clariss. Dn. D. Woller cit. loc. n. 13.

## §. II.

## De Libris Juris Justinianei.

## SUMMARIUM.

- 1. Quinque libri dicantur Authentici, qui apo-  
cryphi.
- 2. Libri Justinianei unde nomen habiant.
- 3. Fuerint Justinianus Princeps laude dignus.
- 4. Recensentur Libri Justinianei.
- 5. Definiuntur Institutiones.
- 6. Quorum opere Institutiones sunt composta.
- 7. Ex quorum Libris sunt defuncta.
- 8. Quid exponatur in libris Institutionum.
- 9. Nihil perpetuum in iis esse possum, refutatur Im-  
perator.
- 10. Quos libris confitent, ac quæ legitima eorum  
ordinatio.
- 11. Institutiones plenum obtinente confirmationum  
robust.
- 12. Reicitur VVissenbach.
- 13. Pandecta unde nomen habeantur, ac quid sint.
- 14. Referuntur duplex Pandectarum divisio.
- 15. Quæ editio præcellat
- 16. Densitudo Antinomia in Pandectis.
- 17. Appellatio Codicis unde fluxeris.
- 18. Codex bus à Justiniano editus.
- 19. Novella cur dicantur Authentica.
- 20. Hodie quid vocabulo Novellarum, quid Aut-  
heniticarum designatur.
- 21. De Justiniani Editione.
- 22. Quem ordinem libri Justinianei teneant.
- 23. Quæ forma relati libri, eorumque partes co-  
ntinentur.
- 24. Quo seculo leges Justiniani vim juris obti-  
nent in Imperio.

**L**ibris juris Canonici succedunt libri Civiles, qui vel Authentici, vel Apocryphi. Authenticos voco, qui leges continent, instructas auctoritate decisivâ pro scholis & fôro. Apocryphos, qui auctoritate hac carent.

Authentici sunt vel Justinianei, vel non Justinianei. Justinianei nomina fortinuntur ab Imperatore Justiniano, qui auctoritatem juris ius-  
dem est impeditus.

De Principe hoc varijs variè sentiunt. Sunt, qui laudibus eundem  
evitant: sunt, qui depriment. Mihi, vitam eius percurrenti, laudis  
& virtutis seges amplissima se offert. Laudem meretur, quod barba-  
ras gentes armis fregerit: victorias innumeras de hostibus suis reporta-

verit, ac inter mortuam Imperij gloriam suscitaverit. Laudem mereatur, quod splendidissimis structuris urbem Constantinopolanam exornaverit: templum Divinæ Sapientiæ tanto apparatu construxerit, ut celeberrimum operum magnificientiam eodem extinxerit. Laudem denique meretur, quod reformationi juris manum admovevit: sacratissimas constitutiones in luculentam erexerit consonantiam: infinitas veteris prudentiæ ambages evolverit, ac opus desperatum labore felicissimo perfeccerit. Sed laudes hæsee quam turpes nævi commaculant! Theodoræ, impotentis animi fæminæ, fasces consignavit Imperij, ac ad nutum eius leges fixit; & refixit arg. Nov. 8. cap. 1. Silverium Pontificem, throno dejectum, egit in exilium: Virgilium substitutum mancipij loco habuit, ac in secessum prolapsus Eutichianam, præclara primordia fœdissimo exitu corrupit, illustresque triumphorum titulos unâ hæretici appellatione penitus obliteravit. Quid, quod ipsa illa gloria, quam effulgit, virtute alienâ subnixa fuerit: per Bellisarium enim & Narsem triumphis, per tributa ædificiis, per Tribonianum denique legibus inclaruit. Unde à veritate non deflexeris, si truncum appellaværis Justinianum, alienæ gloriæ exuvias in gloriæ superbum.

4 Libri juris, qui Justinianum Authorem habent, sequentes se offerunt: *Institutiones: Pandectæ: Codex: Novelle.*

### INSTITUTIONES.

5 **I**nstitutiones sunt volumen, in quo totius legitimæ scientiæ prima traduntur elementa §. 4. in proæm.

6 Compositæ sunt jussu atque auctoritate Justiniani per Tribonianum *Theophilum*, *Dorotheum*, & viros alios facundissimos, quorum catalogum texit Imperator in præfatione *Digerorum*.

7 Desumptæ sunt ex variis Antiquorum Institutionibus: potissimum ex Commentariis Caij, ut satis arguunt fragmenta, ex JCto illo in opus Pandectarum relata; quorum ipsissima non raro verba in Libris Institutionum referri videas §. 6. in proæm.

8 In prælaudatis Institutionibus grata brevitate exponitur, & quod ante obtinebat, & quod antiquatum, Imperiali remedio vel declaratum, vel in usum revocatum est §. 5. in proæm. In titulis tamen *De usuca-  
pionibus*, *De exhortatione liberorum*, *De Legatis*, *De Successionibus ab in-  
testato*,

*testato, De bonorum possessionibus, De satisfactionibus, jus antiquatum fuisse calamo recenseri, vix non indigneris.*

Si fidem adhibemus Principi nostro, in libris hisce nihil positum perperam, nihil inutile, sed quod in ipsis rerum argumentis obtinet, ac in usu vertitur §. 3. *in proæm.* Alij tamen aliter sentiunt, ac coimpositores Institutionum atro carbone notant, quod elementarios hosce libros accuratiore operâ non concinnaverint.

Partitus est Imperator Institutiones suas in IV. Libros. Hos ipsos tamen non uno eodemque modo ordinari videoas. Sunt, qui Librum III. auspicentur à titulo *De obligationibus*: quartum à titulo, *De actionibus*. Sed partitionem hanc repudiat stylus exemplarium, cui stylo prærogativam divisionis authenticæ inveterata consuetudo dum peperit. Certè, si Liber secundus excurrat usque ad titulum *De obligationibus*, fateamur necesse est, inter hunc & Libros reliquos inæqualitatem nimiam intercedere. *Wesemb. ad §. 4. in proæm.*

Institutiones, hactenus descriptas, Justinianus ipse legit, & recognovit, ac plenissimum constitutionis robur iisdein accommodavit §. 6. *in proæm.*

*Jacobus Wissenbach* tamen *disp. ad Jus Civil. I. th. 8.* existimat, Institutiones hactenus tantum constare autoritate juris, quatenus cum Pandectis & Codice iisdem convenit: secus apographis præferenda esse autographa, Authenticæ Exemplis. Digna profectò sententia, quæ communem omnium repulsam ferat! Reclamat enim ipse Imperator, qui in d. §. 6. verbis apertissimis proficitur, quod plenissimum Constitutionum robur Institutionibus accommodaverit: ergo eodem possent robore, quo reliqui juris libri, nec proinde dicere possis, quod respectu Digestorum & Codicis vicem nudi exempli sustineant.

## PANDECTÆ, seu DIGESTA.

*Pandectæ à. i. o. & εχω dictæ sunt, eò quod omnia complectantur,* 13 *que ex veterum J. Ctorum libris Justinianus colligi, ac pro jure servari voluit. Vocantur nomine alio Digesta, eò quod responsa veterum, dispersa ac confusa, in justum ordinem digesta contineant l. 2. §. 1. De vet. jur. civil. Describi possunt, quod sint volumen, ex variis antiquorum J. Ctorum libris & commentariis, auctoritate Justiniani, consar-*

cirratum. Cum enim Jurisprudentia mole sua laboraret, ac bis mille libri suppeterent, responsis Prudentum repleti, ita, ut vix nomina librorum, ne dum responsa ipsa, memoriam quis complecti posset, eò tandem devoluta res est, ut pleraque arbitrio magistratum perficerentur, cum ingenti damno Reipublicæ. Malo huic ut occurreret Justinianus, post Imperatorum Constitutiones in unum Codicem collectas, responsa veterum aggressus est, ac rejectis resectisque plurimis, opus Digestorum, s. o. libris constans, ex iisdem concinnavit.

14 Divisio Pandectarum duplex occurrit, una Justiniani, altera antiquiorum Interpretum. A Justiniano Pandectarum in VII. partes sunt distributæ. A Glossographis antiquis Digesta cæpta sunt dividi in tres partes: in *Digestum vetus: Infortiatum: & Novum*. *Vetus* continet priorem partem, ac excurrit usque ad titulum, *Soluto matrimonio*. Hinc *Infortiatum* incipit, ac porrigitur usque ad titulum, *De novi operis nunt.* Dictum videtur *Infortiatum*, quia inter Digestum vetus & novum est intermedium, & quasi infartum. Inde *Novum* incipit, ac libros reliquos complectitur. Sed hæc partitio, uti voces insulsas præfert; *ira nova est, ac sine fundamento temere conficta.*

15 Inter editiones varias præcellit Florentina, desumpta ex antiquissimo exemplari, quod Florentiæ asservatur.

16 Vehementissimus dissidij fomes inter nostros inardescit, denturne in opere Pandectarum Antinomiarum, sive leges contrariae? Si autoritatem Justiniani reveremur, non dantur. Ita enim testatur in l. 1. §. 8. & l. 2. §. 15. C. *De vet. jur. encl.* ubi jubet, ut leges, in speciem contrariae, subtil ratione concilientur. Justiniano se opponunt Viri gravissimi, ac primi subsellii Interpretes, qui notam absurditatis inurende non verentur iis, quibus serio persuasum est, nullam in Pandectis Antilogiam occurrere. Ego equidem nolim contendere, opus Pandectarum labore tam accurato concinnatum esse, ut nihil occurrat, censoriam dignum virgulâ: vix enim fieri potuit, ut ex immensâ librorum antiquorum mole, ac infinitis veterum dissentientium responsis, intra metam triennii opus conficeretur, numeris omnibus absolutum; cum tempus tam breve tot legibus, ad lucernam expendendis, vix sufficerit. Intermi tamen vehementer iis succenso qui toto nisu id agunt, ut inter le-

ges pugnam adstruant. Certè si satisfacere velis officio boni ac sinceri interpretis, studio pertinaci eò potius collimes, necesse est, ut difficultates, quibus scaret Themilogia nostra, minuas, non ut augeas. Unde, dum viribus omnibus eò conniteris, ut Antilogias procuidas, ac rationes, quas conciliandis textibus Authores adhibent, convellas, operum pessimam navas Themidi.

## CODEX.

**C**ODEX quasi caudex dicitur: nam, teste Seneca, *Libr. De brev. vita cap. 17*, contextus plurium tabularum, *caudex* ab antiquis vocabatur. Si *Codicis* credimus, collectio constitutionum Principalium appellatio nem Codicis ideo obtinuit, quia, cùm Prudentes iresponsa sua chartis, membranisque consignarent; Principes constitutiones suas in codicibus ligneis, æreis, vel eburneis conscribebant. Unde factum est, ut Liber constitutionum Principalium Codicis potius, quam membranum nomen fertur.

Describi potest Codex, quòd sit volumen, ex variis, tum antiquo. 18  
rum Principum, tum Justiniani constitutionibus concinnatum. Hunc  
bis edidit Justinianus. Prior editio præcessit Pandectas & Institutiones  
§. 2. *in proem.* Posterior suscepta fuit, Pandectis & Institutionibus  
jam editis *l. un. C. De emend. Cod. Just.* Codicem primæ editionis con  
stitutionibus variis, tum propriis, tum ex Codice Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano depromptis, exornavit. Codicem secundæ  
editionis, detractis multis constitutionibus, priori insertis, notabili De  
cisionum, ac Constitutionum propriarum auctario instruxit. Codicem  
priori à nomine suo Justinianeum dixit. Posteriorem, lima  
tum, emendatum, auctumque, repetitæ prælectionis appellavit. Prio  
re Codice caremus: Posteriore hodiisque utimur.

## NOVELLÆ.

**N**OVELLÆ sunt constitutiones variæ, post editum Codicem repetitæ, 19  
prælectionis, recens à Justiniano promulgatæ. Vocantur nomi  
ne alio *Authenticæ*: nam Authenticum id vulgo dicitur, quod certa &  
indubitate auctoritate nititur. Cum itaque Julianus Antecessor No  
vellas. luxuriâ Asiaticâ diffusas, stylo non inelegante transudisset in  
compendiam, ac librum illum posterior Jurisprudentia, tanquam spuri  
Digitized by Google

um rejiceret, factum est, ut translatio alia, barbara illa quidem, ad literam tamen ex originali deprompta, diceretur authentica.

**20** Hodie separamus Novellas ab Authenticis, ac per Novellas intellegimus constitutiones integras: vocabulo Authenticarum verò designamus Novellarum compendia, ab Irnerio, JCto Italo, Codici inserta. Authenticas hásce non aliter reveremur tanquam Authenticas, quia in si cum Novellis, unde desumptæ sunt, respondeant; quia Irnerius, tanquam homo privatus, conciliare ijs non potuit autoritatem juris.

### E D I C T A.

**21** Ultimam juris Justinianei partem constituant XIII. Edicta; quæ tamen temporibus nostris, ac præsenti rerum statui parum conveniunt.

**22** Progressus librorum, de quibus hactenus, sequenti ordine concluditur. Primo loco Codex Justinianus prodit, quem altero statuta Imperij sui anno, nempe anno Æræ Christianæ 528. componi; sequente verò edicavit Princeps noster *l. un. C. De nov. Cod. fac. l. un. C. De Just. Cod. confirm.* Codici succedunt Pandectæ; quæ anno Imperij Justinianei quarto coaluerunt in systema juris; sexto verò promulgationis gloriâ cœperunt esse conspicuæ *l. 1. l. 2. C. De vet. jur. encl.* Pandectas presso pede sequuntur, vel potius assequuntur, Institutiones, quæ eodem anno, nempe Imperij sexto, compositæ, ac uno mense ante Pandectas promulgatae sunt *§. ult. proœm. in fin. l. 2. §. ult. in fin. l. 3. §. ult. in fin. De vet. jur. encl.* Compositionem proinde si spectes, Pandectæ priores sunt Institutionibus: promulgationem verò si respicias, easdem sequuntur. Post Institutiones & Pandectas, Anno Christi 534. promulgatus fuit Codex repetitæ prælectionis. Postremo loco Liber Novellarum sine certo die prodit.

**23** Volumina juris, hucusque relata, omnia ferè Libris constant: Libri titulis: tituli legibus: leges paragraphis: paragraphi versibus. In libris Institutionum tamen, non leges, sed meri paragraphi occurunt, versibus distincti. Tituli alio nomine *Rubrice* dicuntur; sine dubio à terrâ rubri coloris, & minio proximâ, quâ summa materiæ capita notabantur. Leges, per literam *l.* paragraphi, per signum *§.* versus, per literam *v.* designantur. Institutiones per literas initiales *Inst.* Digesta;

sea Pandectæ, vesp̄ literam *D.* vel græcum ἣ cum virgulā: Codex, per literam *C.* Novellæ per literam *N.* Libri Feudorum per duplex *FF.* significantur. Hodie tamen Pandectæ frequentius per signum *ff.* designantur: cuius signi originem ab imperitiâ librariorum fluxisse dixeris, qui pro *ff.* signum *ff.* formarunt.

Libri, de quibus haec tenus, in Germaniâ & Imperio authoritate in juris obtinent, non quod Legislatori Justiniano cunabula sua referant in acceptis, sed quia consensu tacito Imperatorum & Statuum in scholas & tribunalia Germaniæ sunt investiti. Dicere possis, non tacito solum, sed expresso quoque consensu hodie receptos esse, cum ordinationes Imperij non semel jubeant, ut secundum jura, in iis contenta, cause in Imperio determinantur.

## §. III.

*De Libris Authenticis juris non Justinianei.*

## S U M M A R I A.

1. Recensentur libri non Justiniani, authoritate juris manuī.
2. Suntne libri Feudorum Authentici.
3. Quid sit Aurea Bulla, ac de quibus negotiis in eadē agatur.
4. Quid intelligatur per Capitulacionem Cesarea.
5. Quid sit Pax Religiosa.
6. Quid Pax profana.
7. Quid ordinatio Camera.
8. Quid Ordinatio iudicij Aulici.
9. Quid Nemesis Carolina.
10. Quid denique Recessus Imperij.

Satis de Libris, qui Justinianum Authorem laudant. Sequitur de aliis, qui prærogativam juris debent authoribus aliis. In classen hanc pertinent, *Libri Feudorum*, *Aurea Bulla*, *Capitulatio Cesarea*, *Pax Religiosa*, *Pax profana*, *Ordinatio Camerae*, *Ordinatio Judicij Aulici*, *Nemesis Carolina*, ac ipsi denique *Recessus Imperij*.

## LIBRI FEUDORUM.

**L**ibri Feudorum sunt volumen, ex consuetudinibus Longobardorum, constitutionibus Lotharij, Conradi II. Conradi III. & Friderici III. ac sententiis quorundam JCtorum coagimentatum. Capita, libris hisce comprehensa, duorum sunt generum, ordinaria, & extraordinaria. Ordinaria vocantur, quæ ab antiquis jam compilatoribus in certum corpus, & systema juris fuerunt coacta: suntque illa, quæ occurrunt

sunt in Libro I. & II. Feudorum, usque ad titulum § 8. inclusivè. Extraordinaria, quæ operâ Cuiacij, & aliorum sunt adjecta. Capita ordinaria vim juris habent in Imperio; ex causâ tamen aliâ & aliâ. Ea quidem, quæ ab Imperatoribus sunt profecta, per se, ac vi propriâ. Illa verò, in quibus proponuntur consuetudines Longobardorum, ob receptionem tacitam, quia videlicet, Imperatore sciente, nec reclamante, in scholas & tribunalia Germaniæ sunt invecta. Capita extraordinaria dēdignamur Authoritate juris, quia non perinde, ut priora, usu ac consuetudine sunt recepta. *Clariss. Dn. D. Weller in questi. sel. questi. 8. per 108.*

### AUREA BULLA.

**3** **A**urea Bulla, à sigillo aureo, eidem appenso, sic dicta, est pragmaticea sanctio, à Carolo IV. cum consensu Statuum, de electione Imperatoris, juribus Electorum, & negotiis quibusdam aliis lata, ac promulgata. Agitur in constitutione hac utilissimâ de electione Imperatoris, ac juribus & prærogativis Electorum. Cùm enim adverteret Carolus, ex ambitione & dissidio Electorum ingentia Lubnasci incommoda, ac Imperium bellis & turbis reddi obnoxium, constitutionem illam saluberrimam cum frequentissimo Statuum consensu promulgavit, ac electionum discordias eâdem sustulit.

### CAPITULATIO CÆSAREA.

**4** **C**apitulatio Cæsarea est conventio, quâ Imperator, per Electorum suffragia designatus, ante coronationis solennia, certas conditiones, sibi propositas, acceptat, ac jurejurando firmat.

### PAX RELIGIOSA.

**5** **P**ax Religiosa est pragmatica sanctio, qua tertiarum religionum liberum exercitium permittitur in Imperio. Promulgata fuit in priore saeculo Anno 1555. Vestibulum atque aditus ad eandem fuit Transaction Passaviensis, Anno 1552. inita, in quâ Augustana Confessionis sociis quies ac securitas permissa. Transactioni succedit Pax ipsa, Anno 1555. conclusa, ac promulgata. Sed cùm hubrica sit hæretorum fides, & caduca fidelitas, rimas deinceps egit Pax illa, ac infame

tales bellum deflexit. Tandem tamen Anno 1648. in Comitiis Monasteriensibus pax Religiosa, novis aucta capitibus, denuo coaluit. Constitutionem hanc pacis sunt, qui mirum in modum extollant, & variis encomiis exoracat. Ego laudem totam, quam meretur, exhausto, si dixerim, fuisse illam, ac hodiéque esse malum necessarium. De pace hac Religiosa latâ manu egi in *par. 4. Jurisprudentia Terribilis cap. 3.* S. 3. ubi ostendi, fuisselicet & validè conclusam: cuius sententia nondum nac pœnitit.

### PAX PROFANA.

**P**Ax profana est pragmatica Sanctio, quâ vis omnis iusta à Statibus & subditis Imperii arcetur. *Ansam* constitutioni dedit procacia Statuum: antiquitatem enim scrutanti, occurruunt tempora, in quibus Imperatorum authoritas fuit tam exigua, ut, si lis inter Proceres effervesceret, non judicio, sed denuntiatione hostili, armataque manu dirimeretur. Hinc tot arces in Germaniâ sunt excitatae, quarum rudera & vestigia hodieque in colliculis occurruunt. Successeré tandem pacatoria tempora, ac anno Maximiliani I. Edictum pacis publicæ emanavit, quo repagulum proterviaz obductum, ac vis omnis subditis Imperii interdicta, pœna proscriptio in refractarios constitutâ. Praelaudatum Edictum successu temporis notabilissima incrementa sumpit, ac, ut rima omnis procacie occluderetur, plurimis deinceps novis capitibus, novisque clausulis auctum, instructumque fuit.

### ORDINATIO CAMERÆ.

**O**rdinatio Cameræ est pragmatica Sanctio, quâ omnia ferè, quæ concernunt judicium Cameræ, determinantur.

### ORDINATIO JUDICII AULICI.

**O**rdinatio judicij Aulici est constitutio, quâ judicium Aulicum firatur ac instruitur. Ordinatio novissima prodiit Anno 1654.

### NEMESIS CAROLINA.

**O**rdinatio Criminalis est constitutio, autoritate Caroli V. promulgata, quâ modus procedendi in causis criminalibus determinatur, ac plerisque criminibus pœnae sue prefiguntur.

## RECESSUS IMPERII.

**I**psi denique Recessus Imperij, in genere, sunt constitutiones, in Comitiis, ab Imperatore, & Statibus, de iis negotiis latet, quæ ad convenientem Imperij gubernationem & salutem communem pertinere censentur. Nomen suum trahere videntur inde, quod post finitas consultationes & deliberationes, sub ipsum quasi discessum Imperatoris & Statuum eudantur. Vocantur nominibus aliis, *Constitutiones Imperii: Recessus Comitiorum: Ordinationes Imperii: quæ vocabula non differunt, nisi solum nominis.*

## §. IV.

## De Libris Apocryphis.

## S U M M A R I A

1. Recensentur Libri Apocryphi:

2. Leges XII. Tab. unde nomen Babeani.

**S**atis de Libris Authenticis. Irruunt apocryphi, qui duorum sunt generum: aliqui recentiorum typorum industria occurunt in juris Romanis corpore, alij vagantur extra. In priorem classem pertinent, *Novella Leonis, Constitutiones Tiberij & Justini, nec non miscellæ Constitutiones Imperatorum, Canones Apostolorum, Extraordinaria capita Feudorum, Leges XII. Tab. Tituli ex corpore Ulpiani, Institutiones Caij.* In classem posteriorem revocantur, *Codex Theodosianus, Codex Legum Antiquarum;* quem edidit Fridericus Lindenbrogius: *Constitutiones Imperii,* quas concessit Melchior Goldastus: & si qui sunt Libri, supparis farinæ alij. **H**ec omnes authoritatem juris non obtinent; non patrum tamen ad plenam & consummatam juris cognitionem conferunt.

## LEGES XII. TABULARUM.

**D**E Legibus XII. Tab. quia frequens in jure fit mentio, verbo dixisse, operæ fuerit pretium. Habent et nomen suum à XII. tabulis, quibus incisa erant. Postquam enim, pulso Tarquinio, ac Legibus Regiis abolitis, populus Romanus per 60. annos consuetudine potius, & arbitrio magistratum, quam certo & statu jure egisset; tandem anno urbis conditæ 300. tres Legati ad Græcos missi, qui in magnâ velet Legum paupertate, incitas Solonis Leges à Græcis mendicarent, aliaque Græcarum urbium jura & instituta noscerent. His post trienni-

um reverfis, Decemviri cum summâ potestate creati sunt, qui ius Romanum ex legibus ac institutis; è Græciâ petitis, conderent, ac promulgarent. Anno fortè integro in labore hunc insumpto, ac prælaudatis Legibus in X. Tabulas coactis, adjunctis insuper duabus adhuc tabulis, tandem anno Urbis conditæ 305. *Leges XII. Tab.* rogatæ, valere jussæ, ac pro rostris sunt propositæ. Hæc præmittenda erant. Reimoto jam spario, ipsi portæ, quæ aditum recludit, ac in atrium dicit magna Thetidis, clavem infigamus.



# LIBER I.

## TITULUS I.

### De Justitiâ & Jure.



Ntequam in loca interiora magnificarum ædium pene tremus, in ipso vestibulo paulisper hærebimus, ac Juris prudentiæ augustam faciem fixioribus oculis contemplabimur. Ea enim dudum opinio eruditis hæsit, concinnam cuiusque disciplinæ traditionem duobus absolvi, doctrinâ generali, & speciali. Illa futuro operi viam parat, ac in naturam scientiæ eo fine accuratius inquit, ut animus discentis ad percipiendam avidius doctrinam principem disponatur. Hæc ipsam disciplinæ substantiam aggreditur ac vivis coloribus. depictam discenti exhibit. Recepto huic moti nos quoque obtemperabimus, ac antequam ad specialia dilabamur, in ipso aditu, tanquam in amphitheatro, oculos circumferemus, & naturam Jurisprudentiæ curiosius experdemus.

#### CAPUT I.

#### *Denaturâ genericâ Jurisprudentiæ Civilis.*

##### S I.

#### *De Etymologiâ & Homonymia Juris.*

##### S U M M A R I A.

1. *Nomen Juris unde descendat.*

2. *Vocabulum juris in quæ significationes diffluat.*

Juri operam daturus, nosse prius debet, unde nomen Juris descendat. *I. l. i. princ. ff. h. t.* Si Ulpiano credimus in d. l. i. princ. jus, sumptum pro Disciplinâ juris, à justitiâ derivatur. Quam originationem tametsi non pauci aspernentur, ac liturâ dignam censeant; dubitem tamen, an jure merito Ulpiano imperiæ originationis dicam scribant. Quamvis enim ultro fatear, Jus à justitiâ non descendere, derivatione Grammaticâ; coartendo tamen, recte ab eâdem deduci derivatione Logicâ. Videas *anc.*

fanè, disciplinas quoque alias ab objectis suis appellationem sumere: sic enim Grammatica à literis, Arithmetica à numeris, Ethica à moribus, scientiariz ab objectis aliis denominantur. Cur ergo non Jus quoque, seu Jurisprudentia, à justitia, tanquam objecto suo formalí, recte denominetur? Evidem fateor, si vocabulo Juris designetur objectum justitiae, seu debitum rigorosum, jus non à justitiâ, sed justitiam potius à jure denominari, cum objectum presupponatur ad habitum, adeoque derivari ab eodem, tanquam posteriore, nequeat. At si per Jus significetur disciplina juris, contendó à justitia recte derivari: partim, quia disciplinæ quoque alias appellationem ab objectis trahunt: partim, quia ars est posterior objecto, adeoque potest ab eodem denominari. *Hahn ad Wif. h. t. n. 14. Clariss. Dn. D. Braun in Jurisprud. sua general. & special. par. I. §. I. n. 2.*

Ceterum, ne vocis ambiguitas initio statim tenebras offundat, minimis oportet, vocabulum juris significationibus variis circumfluere. I. sumitur pro lege: quo sensu jus dividitur in naturale, gentium & civile. §. ult. b. t. II. pro sententiâ judicis: quo respectu Prætor dicitur jus reddere, licet iniquè decernat *I. pen. ff. b. t.* III. pro loco, in quo jus redditur: in quâ significatione reus dicitur in jus vocari, obtorto collo in jus rapi &c. *d. I. pen. in fin.* IV. pro vinculo necessitudinis: quo sensu de jure agnationis dicitur, quod capit is diminutione perimitur *§. ult. Deleg. agn. ius.* V. pro titulo, quo rem acquisivimus: in quâ acceptione dicimus, fundum jure præscriptionis, vel donationis nostrum esse. VI. pro statu, seu conditione, quam ex dispositione legum res habet: quo sensu fundus dicitur dotalis, vel servitute affectus. VII. pro facultate agenti aliquid, vel obtinendi, cui sine injuriâ resisti non potest: in quâ appellatione dicimus habere jus eundi, jus persequendi in judicio equum datum &c. VIII. pro debito rigoroso, quod respicit justitia commutativa: quæ acceptio proprio infra loco recurret. Taceo significationes alias, quas passim alii agglomerant. Hoc loco vocabulum Juris sumi pro disciplinâ juris, seu Jurisprudentiâ: in quâ significatione nos deinceps vocem illam usurpabimus, donec à tractationis ordine ad significationem aliam non inviti deducamus.

## §. II.

*De Existentia Jurisprudentiae.*

## S U M M A R I A.

1. *Dari Jurisprudentiam, demonstrasse à præori.*  
2. *Id ipsum probatur à posteriori.*

**D**ari Artem juris, seu Jurisprudentiam, tam certum videtur, quam certum est, dari cognitionem Legum, ac disciplinam, quæ cognitæ applicantur ad facta hominum. Sed disciplina illa vocatur Jurisprudentia: ergo datur Jurisprudentia.

**A**ccedit, in Scholis publicis Jurisprudentiam doceri, in Dicasteriis Tribunalibus & Rotis, usu continuo exerceri, teri ac rotari: quæ omnia tam evidenter arguant existentiam Jurisprudentiæ, ut si abire in diversum audias, cerebrum tuum ne integro hellebore plastro curari posse existimes. *Clariss. Dn. D. Braun cit. loc. §. 2.*

## §. III.

*De genere remoto Jurisprudentiæ Civilis.*

## S U M M A R I A.

1. *Permituit tractatione anteriori.*  
2. *Jurisprudentia est qualitas homini supervenientia, ac personæ in censum habituum.*

**C**um essentiam cuiusque rei definitio exhibeat, ac definitio, ut numeris suis constet, genere & differentiâ instructa esse debeat, omnis jam industria, omnisque opera in eo figura, ut lucide monstretur, quo genere & quâ differentiâ Jurisprudentia civilis sit circumscripta. Deo vero quia constare satis non potest, nisi disciplinæ aliae faciem præferant, necesse omnino est, ut notiones quasdam ex Philosophia de prompta præmittamus.

**Q**uod Jurisprudentia sit qualitas homini supervenientia, ac in censem pertineat habituum, nemo tam perfida frontis est, qui heat inficiat. Sed an virtutis encomio sit digna, ac cuius in specie virtutis nomine mactari debeat, vehementer inter Autores discrepat. De hac lite vero quia Judicium ferre non possimus, nisi distinctè intelligamus, quid sit virtus, & quas species nominis sui ambitu complectatur, in eo jam desudandum, ut naturam virtutis, etiusque species tractatione perspicuâ exponamus.

## §. IV.

## De Virtute in genere, &amp; variis eius speciebus.

## S U M M A R I A.

1. *Definitur virtus in genere.*
2. *Virtutes naturæ nobis non sunt induta.*
3. *Virtus alia est acquisita, alia infusa.*
4. *Item alia Theologica, alia Moralis.*
5. *Denique alia cognoscitiva, alia appetitiva.*
6. *In quo differunt ha virtutes.*
7. *Adornatur differentia adhuc alia.*
8. *Eo merantur virtutes potentia intellectiva.*

**V**ocabulum virtutis in sententias varias accipitur. Hoc loco sumitur pro vigore animi, quo homo idoneus redditur ad operationes suas bene præstaandas. Definitur in genere, quod sit habitus, quo perficitur creatura rationalis in ordine ad operationes, naturæ suæ contentaneas. Per creaturam rationalem intelligitur natura, ratione & voluntate instructa, ac quæ ad finem suum liberè se ipsam moyet.

Fuere nonnulli Veterum, qui existimarent, virtutes naturæ nobis esse inditas, neque usu, aut exercitio acquiri. Sed his obluctatur experientia, quâ erudimur, potentias exercitio ad rectam operationem expeditas reddi. Deinde, qui vitiis indulgent, habitum perversum contrahunt, quo in scelera præcipites velut aguntur. At si mali actus relinquent post se habitum, cur non boni quoque? Ad hæc, si ab ipsâ naturæ virtutes nobis implantarentur, nullâ consuetudine contraria evelli possent: naturam enim opprimere frustra tentes. Lapidem si vel milles in altum projicias, non impetrabis, ut ponderis naturalis sarcinam abjiciat. Ignem diurno licet carcere coerceras, vim tamen eius non ita infringes, ut rimam nactus non erumpat, & latè omnia flammis compleat. Fateor sancè, quædam virtutum semina esse nobis congenita: neminem enim reperias naturæ tam bardæ, tamque barbaræ, quem blanditez veri, bonique non inulceant. Sed prouincantes has bona indolis scintillas virtutis encomio immerito cohonestaveris.

Dividitur virtus varie. Primo in acquisitam & infusam. Illam frequentiæ actuum: Hanc munificentæ Numinis referimus in acceptis.

Secundo, in Theologicam & Moralem. Illa proximè Deum respicit, ut Fides, Spes & Charitas. Hæc proximè versatur circa res creatas, ac ut mores hominum circa eas ritè se habeant, connititur. Sed hæc divisiones, ac id genus aliæ, non sunt dispectionis nostræ.

Tertio, & ad rem nostram, dividitur virtus in eam, quâ intellectus

Actus, & illam, quâ voluntas perficitur. Prior vocatur cognoscitiva: Posterior appetitiva. Illa definitur, quod sit habitus, quo intellectus disponitur ad veritatem infallibiliter attingendam. Hæc, quod sit habitus, quo voluntas movetur ad operationem sine defectu eliciendam.

6 Inter virtutes hæsce non una differentia intercedit. Nam primum quidem, opus, quod procedit à virtute intellectivâ, licet imbibat rectitudinem virtutis, à quâ procedit; moraliter tamen potest esse malum, propter finem malum, ad quem à voluntate ordinatur. Contra, opus, quod procedit à virtute morali, non potest moraliter esse malum, quia si vel minima eius circumstantia malitiam contineat, jam non procedit à virtute morali. Sic v. g. si suum alteri tribuam ex motivo vanæ glorie, non exerceo formaliter actum justitiae, licet occuper circa materiam justitiae: neque enim operari possum ex virtute, nisi agam ex motivo virtutis, atque adeò, nisi bonitatem eius intendam, cum à bonitate neglegere non possit in actum refundi prærogativa laudis. Dispar est ratio virtutis intellectivæ: hæc enim, cum verum primariò respiciat, potest inclinare ad opus moraliter malum, quia veritas stat cum malitia moralis. Hinc si pictor juxta regulas artis venustam Venerem adornet, operatur ex virtute artis, esto perversum finem respiciat, atque adeò opus conficiat, in morali estimatione malum.

7 Ex differentiâ priore sùâ sponte fluit alia. Cum enim bona confurgat ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu, hinc actus, qui procedit à virtute morali, debet esse bonus secundum omnes circumstantias; adeoque si vel minima circumstantia malitiam moralem imbibat, totus actus dicitur malus. Contra, actus, qui procedit à virtute potentia intellectivæ, non debet esse bonus secundum omnes circumstantias, quia licet pictura malo fine sit perfecta, si tamen regulas artis præferat, in generè suo simpliciter bona dicitur, ac perfecta. Prudentia tamen id speciale habet, quod inclinare nequeat ad actum malum: cum enim sit regula morum, ac virtutum moralium actus dirigat, tam parum concurrere potest ad actum malum, quam parum ipsa virtus possit.

8 Virtutes morales non sunt dispectionis nostræ, exceptâ justitiâ, de quâ suo infra loco. Virtutes potentia intellectivæ quinque enumerantur:

tor: *Intelligentia, Sapientia, Scientia, Ars, & Prudensia.* Opinio non pertinet in censem virtutum cognoscitivarum. Intellectus siquidem toto naturali pondere fertur in verum, in quo, tanquam bono suo, qui-escit: ergo ut habitus sapientiae naturam virtutis cognoscitivaz, debet essenti-aliter tendere in verum, quia debet intellectum disponere ad optimum. Hoc modo autem non tendit in verum opinio, cum deceptioni sit ob-noxia.

## §. V.

*De Intelligentia.*

## SUMMARIUM.

- |   |   |
|---|---|
| 1. Definitur intelligentia in genere.           | 3. Definitur intelligentia in specie.   |
| 2. Dividitur in eam, qua retinet nomen generis. | 4. Definitur synderesis, ac membrator, circa qua & idem, que assumit nomen aliud. |

**I**ntelligentia in genere definitur, quod sit habitus, quo primis principiis assentimur. Prima principia sunt vel absolute talia, vel secundum quid, forte quod ex prioribus aliis sint deducta quidem, sic tamen, ut solâ apprehensione terminorum innescant. Atque illa & ista per-tinent ad Intelligentiam, quia attinguntur sub eadem ratione formalis, eam luce tam perspicuâ intellectum feriant, ut solâ penetratione terminorum innescant, absque hoc, quod indigeant medio alio, cuius splen-dore perstrictus intellectus, rapiatur in assensum.

Dividitur Intelligentia in eam, quae retinet nomen generis, & il-lam, quae assumit nomen aliud. Vel enim prima principia respiciunt contemplationem, vel actionem. Illa attinguntur ab Intelligentia in specie sic dicta: Hæc à Synderesi.

Intelligentia in specie sic dicta, definitur, quod sit habitus, quo prima contemplationis principia cognoscuntur. Per prima contemplatio-nis principia intelliguntur veritates quædam speculativæ tam univer-sales, tamque evidentes, ut solâ penetratione terminorum innescant, & assensum intellectui extorqueant. Huius generis sunt sequentia: *Nihil potest simul esse & non esse: Totum est maius suâ parte: Positum omnibus par-tibus, ensurgit totum: Que sunt eadem nisi tertio, sunt eadem inter se: Que distinguntur in uno tertio, distinguuntur inter se &c.*

Synderesis est habitus, quo prima principia moralia cognoscun-tur. Per prima principia moralia intelliguntur veritates quædam pra-

Quicquid tam universales, tamque perspicuae, ut sola penetratio terminorum innoteantur. In hunc censum pertinent sequentes regulæ: honestati danda opera: Amalo desistendum: Suum cuique reddendum: Vivendum ex prescripto rationis: Deo pricipienti, ac omnibus iis, qui imperande potestatem obtinent, obtemperandum &c. Hinc infero, Synderesis erroris obnoxia non esse, quia versatur circa universales veritates practicas, quæ decipere tam parum possunt, quam parum universales veritates speculativæ. Certè, omnis vera cognitio debet tandem reduci posse ad principium certissimum: partim, quia ceteroquin omnis humana cognitio nutaret, cum firma non possit esse notitia, quæ fulcro infimo nititur: partim, quia omne mutabile debet tandem reduci posse ad principium immobile; nisi excurrere velis in immensum: ergo etiam cognitio actionum humanarum debet reduci posse ad principium certissimum, ad quod, tanquam ad lapidem Lydium, rectitudo eorum expeditatur. Id vero suggerit Synderesis: quæ proinde non pendet à regulâ priore alia, sed rectitudine suâ propriâ circumscribitur.

## §. VI.

## De Sapientia,

S U M M A R I A.

a. Definitio Sapientia.

a. In quo convenit cum Intelligentia, in quo differat.

**S**Apientia definitur, quod sit habitus, quo res praestantissimas per causas altissimas cognoscimus.

Convenit cum Intelligentia, quod circa prima principia versetur, sicut illa. Differt vero, quod versetur modo alio. Intelligentia siquidem prima principia simpliciter attingit. Sapientia vero ad discursum deflebit, ac demonstrare illa nititur: non quidem à priori; hanc enim demonstrationem, tanquam prima, plerumque repudiant: sed per deductionem ad impossibile, vel ab extrinseco: quo respectu Regina scientiarum non immerito salutatur, quia in omnes obtinere videtur imperium, dum omnium principia firmare nititur.

## §. VII.

## De Scientia.

S U M M A R I A.

a. Definitione Scientia.

a. Ad Scientiam regiuntur primi utrius.

3. Secunda certitudine.

4. Tertia evidenter.

5. Evidentia est vel metaphysica, vel physica,  
vel moralis.  
6. Sufficiens evidens moralis ad Scientiam?  
7. Defenditur, sufficere.  
8. Quare requiriatur, ut sit cognitus per causam.

9. Quomodo Fides differat ab Scientia.  
10. Quomodo opinia.  
11. Diversus Scientia de singularibus, contingenti-  
bus, & corruptibilibus?

**S**cientia est habitus, ex demonstratione ortus: sive, est cognitio rei  
certa & evidens per causam. Unde advertis, plura requiri ad co-  
gnitionem scientificam, nempe, ut sit vera, ut certa, ut evidens, ac per  
causam.

Primo itaque requiritur ad cognitionem scientificam, ut sit vera, 2  
ad eoque conformis obiecto, quod representat. Cognitio falsa non potest  
ascendere ad dignitatem Scientiarum, quia Scientia, tanquam virtus poten-  
tiae intellectivae, debet intellectum disponere ad optimum. Sola veri-  
tas tamen ad Scientiam non sufficit, quia si ob defectum representa-  
tivae objectum, per se certum, attingam cognitione solum probabi-  
li, nemo dixerit me scire, cum formido oppositi per cognitionem talium  
non excludatur.

II. Requiritur, ut sit certa, adeoque necessariò connexa cum sta-  
tuo obiecto, quem representat: nisi enim determinata sit ad veritatem,  
atque adeò falsitatis incapax, periculum erroris non sufficienter ab intel-  
lectu removet. Hæc ipsa tamen certitudo ad Scientiam non sufficit,  
quia actus fidei Divinæ est certissimus, 3 ut pote subnixus autoritate in-  
fallibili Dei revelantis, nec tamen scientificus, ob defectum claritatis,  
cum ab obiecto fidei, tanquam obscuro, intellectus non determinetur  
ad assensum, sed indigeat pià affectione voluntatis, quâ in obsequium  
fidei obtorto velut collo inflectatur.

III. requiritur, ut sit evidens, atque adeò, ut tantâ claritate obie-  
ctum representet, cuius luce perstrictus intellectus rapiatur velut in as-  
sensum, absque hoc, quod voluntas possit intercedere, ac injectâ formâ  
dine assensum cohibere. Neque enim intellectus despoticè subditur  
voluntati, sed ubi veritatem clare intuctur, in eandem velut irruit, con-  
sciente voluntatis, diversum imperantis, superciliosum.

Ceterum, meminisse oportet, evidentiam suis constare gradibus.  
In summo enim evidens metaphysica, quæ est claritas, principiis  
metaphysicis subnixa, ac ex nudâ terminorum penetratione orta. Hac  
eviden-

evidentiâ subscribimus primis principiis: ab his enim, bene apprehensis, tantâ veheuentiâ rapitur intellectus noster, ut ne quidem per imputentiam reclamare iisdem possit. Secundum gradum occupat evidentiâ physica, quæ est claritas, principiis physicis suffulta, pura, naturali rerum ordine, & connexione physicâ unius cum altero. Sic v. g. visâ albedine, vel accidente alio, physicè evidenter arguo, latere substantiam, quia scio, spectato naturali rerum ordine, accidens non posse consistere absque substantiâ. Sic quoque, conspectu fumo, physicè evidenter colligo, vicinum esse ignem, quia scio, viribus naturæ fumum à terrestri tigne fecerni non posse. Postremo gradui insitit evidentiâ moralis, quæ est claritas, ex communi assensu hominum, vel signis aliis, judicio prudenter infallibilibus, suborta. Hac evidentiâ scio, leges, in corpore juris nostri conspicuas, auctoritate Justiniani promulgatas esse, quia à tot gravibus auctoribus, ac viris, sapientiâ inclitis, id asseritur, ut moraliter sit impossibile, fuisse omnes tot sacerulis deceptos: cui proinde veritati obliterari non possum, nisi temeritatis aut dementiæ notañ velim incurtere. Hæc evidentiâ tamen patitur obscuritatem physicam, quia per evidentiâ facti scire non possum, vixisse Justinianum, cùm ingens plurium saeculorum moles Principe in illum sensibus meis subtrahat.

Evidentiâ moralis sufficiâne ad Scientiam? in diversum trahi posse video. Dixeris, non sufficere. Evidentiâ moralis siquidem non excludit obscuritatem ac incertitudinem objecti: ergo non sufficit ad Scientiam: hæc enim debet esse cognitio certa & evidens, deducta ex præmissis certis & evidentiis. Fac sanè, me ita concludere: Quicquid Legislator pronuntiat esse irritum, est irritum. Sed testamentum, septem testibus destitutum, Legislator Justinianus pronuntiat esse irritum: ergo est irritum. In syllogismo hoc propositio minor non est nota ex terminis: ergo si roges, unde sciam, à Justiniano id statutum esse, aliud respondere non possum, nisi, quod probati Authores id asserant: ergo veritatem minoris suffulcio testimonio humano, atque adeò principio fallibili, cùm omne suffragium humanum sit fallibile: ergo ex syllogismo hoc descendere non potest cognitio scientifica, cùm fieri nequeat, ut conclusio sit certa, ubi una ex præmissis incertitudine laborat.

Sed à laude veritatis parum sibi decerpit hæc opinio. Tamen

enim evidētia moralis fortasse non sufficiat ad scientiam, quam Philosophorum Princeps Aristoteles legibus instruit, ac ad quam desiderat, ut sit deducta ex præmissis absolute certis & evidētibus: falleris tamen, totōque erras judicio, si existimes, nullam aliam conclusionem pertingere ad dignitatem scientiæ, nisi quæ juxta leges illas Stagiritæ sit confecta. Ad Scientiam veram & perfectam siquidem id saltem requiriatur, ut sit cognitio certa & evidens, atque adeò, ut luce imperturbatâ feratur in obiectum, tantaque firmitate eidem adhæreat, ut divelli ab eodem nequeat. Tali cognitione verò tunc quoque illustratur intellectus, cum præmissæ evidētiæ morali sunt conspicuæ. Quis enim, amabo! vel minimâ latentis falsitatis suspicione tangitur, si in Authoribus probatis legat, Athenas quandam scientiarum effulsiſſe gloriâ: Ciceronem facundiæ laude fuisse conspicuum: Justinianum inclariſſiſe legibus. Certè veritatibus hisce tantâ firmitate assentimur, quantâ veritatibus aliis, principio physico suffultis: evidenter enim advertinus, non posse latere falso, ubi tot ſecula, viris doctissimis refertiſſima, unitis velut vocibus, veritati ſucclamant. Igitur non tam in fide humana, quam in principio, juxta leges prudentiæ certo & evidente, memoratæ veritates ſunt fundatæ, in hoc videlicet, quod moraliter ſit impossibile, falsitatis periculo ſubnoxia eſſe ea, quæ viri, sapientiæ, probitate mortui, ac omni eruditioне Clarissimi, conformibus ſuffragiis, promuntiant eſſe veriſſima.

IV. denique requiritur ad Scientiam, ut sit cognitio per causam, atque adeò, ut sit deducta ex præmissis certis & evidētibus. Hinc excluduntur cognitiones aliæ, certæ quidem & evidentes, non tamen scientificæ, utpote non discursivæ. Sic cognitio, enuntians rem, quam oculis percipio, eſſt certa & evidens; non tamen scientifica, utpote non discursiva: absque medio enim assentior objecto, visione cognito. Sic etiam cognitio, quâ ſubſcribo priinis principiis, eſſt certa & evidens; nec tamen scientifica, utpote ſine discursu elicita. Sic quoque cognitio, quâ Beati, lumine gloriæ perfusi, vident Deum, eſſt clara & evidens; non tamen scientifica, utpote intuitiva.

Scientiæ, hucusque decriptæ, opponuntur fides & opinio. Fides est actus, quo assentimur objecto propter testimonium afferentis. Diffluit

fluit in Divinam & humānam. Divina est actus, quo assentimur objecto propter autoritatem Dei revelantis. Humana est actus, quo assentimur objecto propter testimonium hominis afferentis. Differt fides à scientia I. quia per actum fidei assentimur objecto, non quod clare nobis apparet, sed propter autoritatem afferentis: per actum scientiæ verò assentimur objecto, quia clare nobis proponitur. II. ad actum fidei non determinatur intellectus ab ipso objecto, sed ab inclinatione & imperio voluntatis: ad actum scientiæ verò determinatur ab ipso objecto, clare proposito. Fidem comparare possis auditiui: scientiam visui. Ut enim obscurissima quæque audiimus, ac quæ intellectu assequi non possis: sic etiam obscurissima quæque credimus, ac quæ intellectu comprehendere non valesas. Contra, quemadmodum non videimus, nisi quæ sufficieni claritate oculos perstringunt: sic etiam non scimus, nisi quæ perspicua luce intellectum feriunt. Motivum scientiæ stat in clara representatione objecti: motivum fidei circumscrribitur authoritate afferentis.

Opinio est actus, quo assentimur objecto cum formidine oppositi. Differt à scientia I. quia actu opinionis ita assentimur objecto, ut cum assensu stet formido oppositi: actu scientiæ verò tantâ pertinaciâ adhæremus objecto, ut virtualiter & implicitè intellectus judicer, rem non posse aliter se habere. II. ad actum opinionis non determinamur ab ipso objecto, sed indigemus imperio voluntatis, quo ad assensum inflectamur: ad actum scientiæ verò determinamur ab ipso objecto.

Non id ago, ut omnia curatè persequar, quæ de scientiâ tradi solent: hanc enim spartam sectæ Philosophorum lubens consigno. Illam tamen controversiam strictè attingam, sitne de ratione Scientiæ, ut veretur circa universalia, necessaria, ac æterna? Apud eos, qui doctrinam Aristotelis superstitione nimis reverentur, sententia dudum increbuit, non dari Scientiam, nisi de necessariis ac æternis. Sed argumenta liquidissima in promptu habeo, quibus monstram, etiam de singularris, contingentibus, & corruptibilibus, veram dari Scientiam. Nam primò, quis ignorat, nisi demens atheus, Deum sumē singularem esse? Hunc verò ex effectibus singularibus, contingentibus, & corruptibilibus evidenter demonstrant Metaphysici. Deinde, quid frequentius in Physicâ, quam ex effectibus singularibus demonstrari causas singulares?

Sic vix favilla, evidenter arguo, ardere ignem: conspecta die, evidenter colligo, illuxisse solem. Adhac, Astrologi ex causis, evidenter sibi notis, infallibiliter demonstrant, per intercursum lunæ solem hac, vel illa horæ obscurandum: Medici ex vulnere, aut signis aliis, sibi perspectis, certò concludunt, ægrum fato concessurum. Aude negare, & ego audebo te ad agnatos ac gentiles deducere. Evidem tam perfidie non sum frontis, ut negem, dari speciem demonstrationis, quæ necessariis egeat: scio enim, demonstrationem, quâ passio, seu proprietas opæ definitionis ostenditur de subjecto<sup>3</sup>, v. g. vis discurrendi de homine, tanquam subjecto rationis compote, indigere præmissis veritatis necessariæ ac æternæ. Sed illud non ferendum, ea, quæ ad certam demonstrationis speciem requiruntur à Philosopho, latius porrigi, ac ad omnia demonstrationem temerè produci.

## §. VIII.

## De Arte.

## S U M M A R I A.

- |   |   |
|---|---|
| 1. <i>Aries, suadens humanâ indigenitatem, nata sunt.</i> | 3. <i>Definitar Ars fricta sumpta.</i>            |
| 2. <i>Definitar ars lata sumpta.</i>                      | 4. <i>Artium alia sunt ingenua, alia forlida.</i> |

**S**cientiæ succedit Ars, in cuius originem si inquiras, urgente humanâ indigenitiâ natam esse, deprehendes. Unde non erraveris, si mediam dixeris necessitatis nostræ.

Sumitur vel latè, vel pressè. Latè accepta definiri potest, quod sit habitus mentis, inclinans ad actionem cum rectâ ratione perficiendam. Definitione hac comprehenduntur non ex tantum artes, quæ opus externum & permanens post se relinquunt, ut pictoria, statuaria, fabrilis: sed illæ insuper, quæ materiæ externæ & stabili formam non imprimunt, utræ canendi, saltandi, pulsiandi cytharam. Quin etiam scientiæ practicæ, quibus opus internum, ab intellectu profluum, perficitur, memoratâ definitione continentur.

Ars, pressè accepta, definitur, quod sit habitus mentis, inclinans ad opus externum & permanens cum recta ratione perficiendum. Refertur ita censum virtutum intellectivarum, quia est habitus essentialiter rectus: supposito enim certo fine: v. g. quod vestis debeat esse idonea tegendo corpori: quod domus arcere debeat cali injurias: tradit regulas infal-

libiles pro opere, secundum finem illum perficiendo. Evidem frequenter accidit, ut artificum opera imperfectionem praefeferant, neque fini deserviant, ad quem destinata sunt. Meminisse tamen oportet, errorem non procedere ab Arte, sed vel ab ignorantia artificis, vel a liberâ voluntate ejus: hic enim, tametsi regulas artis optimè percallet; potest tamen studio velle ab iis defletere. Dictamina practica igitur, ab habitu artis elicita, sive regulæ de modo conficiendi operis, sunt certæ & infallibiles: his enim si insistat artifex, infallibiliter opus conficit, numeris omnibus absolutum. Ars proinde facit, ne temere ac perpetuam opus producatur: cum enim secundum rectam rationem procedat, non potest esse principium erroris. Hinc nullus artifex errat, quatenus artifex, sed vel tanquam ignarus artis, vel in quantum habitu artis studio abutitur.

Artium aliae sunt ingenuæ; aliae sordidæ. Ingenuæ dicuntur, quæ humanitatem animo conciliant, atque adeò, quæ hominem ingenuum decent, sive in negotio, sive otio, vitam transfigat. Sordidæ, quæ à virtutum officiis abducunt; ac incultum & agrestem animum relinquent. In classem priorem pertinent, *Grammatica, Rhetorica, Dialetica, Arithmeticæ, Musica, Geometria, Astronomia*. In classem posteriorem pertinent artes mechanicæ, & mercenariæ, quæ videbuntur quæcumque potius, quam curam animi respiciunt. Moribus hodiernis tamen quedam ex artibus mechanicis censentur homine libero & ingenuo dignæ, ut pictoria, sculptoria &c.

### §. IX.

#### De Prudentia.

##### S U M M A R I A.

1. Monachus tyrannus iuri, ut paragraphum hunc omittant;
2. Encyclops Prudentia.
3. Prudentia longo iuvi comparasur.
4. Dividitur in propriam & impro priam; qua divisione explicatur.
5. Evincitur necessitas prudentia.
6. Pertinentia Prudentia in censum virtutum cognoscitur auctem.
7. Defenditur sententia affirmativa, ne demonstratur.
8. Endem sententia firmatur amplius.
9. Solvitur quædam objectio.
10. Prudentia ceteris virtutibus moralibus non conseruit potest.
11. Ad Prudentiam per modum principii requiriuntur, ut erga fines virtutum animus recte sit affectus.
12. Quodnam sit objectum materiales Prudentia.
13. Quod formales.
14. Quomodo differat Prudentia ab Intelligentia.
15. Quomodo à Sapientia.
16. Quis-

16. Quid modo à Scientia.
17. Quomodo ab Arte.
18. Quonodo à Philosophia moralis.
19. Ostendat amplius, qua inter Prudentiam & Philosophiam moralam differentia intercedat.
20. Via fieri sur differentia, qua inter Prudentiam & Conscientiam intercedat.
21. Quid si Conscientia in genere, ac quid illa, que reficit actionem prateritam.
22. Definitus Conscientia, que reficit actionem futuram.
23. Dividatur in rectam & obliquam: qua divisa explicatur.
24. Exponatur, qua inter Prudentiam & Conscientiam differentia intercedat.
25. Inter functiones Prudentia tres praecellunt, Consulterio, Judiciorum, & Imperium: qua describuntur.
26. Quid Eubulian.
27. Quid Syn-sis.
28. Quid Gno-me.
29. Quid Epikria.
30. Recensentur administrula Prudentia.
31. Quid Memoriam.
32. Quid Intelligenzia.
33. Quid Vocatio.
34. Quid Solertia.
35. Quid Providentia.
36. Quid Ratio.
37. Quid Circumspectio.
38. Quid Causio.
39. Quot modi defletantur à Prudentia per se-  
fatum.
40. Quid Precipitatio.
41. Quid Inconsiderantia.
42. Quid Inconstans.
43. Quid Negligentia.
44. De viuis, quibus per excessum peccatum  
contra Prudentiam.
45. Quid Prudentia carnis.
46. Quid Asturia.
47. Quid Dolus.
48. Quid Sollicitudo temporatum.
49. Definitur Prudentia impropria.
50. Dividatur in Oeconomicam, Militarem &  
Civilem.
51. Civilis dividitur in Architectonicam & Ra-  
tionam: qua duæ species definitionibus illu-  
strantur.
52. Ab his Prudentia Rethorica in tres species, Lo-  
gicatoriam, Consulariogiam, & Judicia-  
riam: Legulatoria, definitur, ac quod me-  
nus ejus.
53. Quid Prudentia Judicaria, ac qua functio-  
nes ejus.
54. Quid denique Prudentia Consulteria.
55. Commendatur P. Lellius: notatus Pufea-  
douf.

**P**aragraphum hunc noli tangere, quisquis tyro es, aut ingenii tam infirmi, ut ad difficultates frontem contrahas: merces in eo venduntur, quas nemo emat, nisi doctus, aut qui ingenio pollet, adversus dura & aspera obfirmato. At cur altiora principia in elementario opere hoc propono? Quia non tantum primis legum alumnis scribo, sed iis etiam, qui in penetralia magnæ Themidis admissi tanquam domestici, stipen-  
dia honoraria ambiunt. Deinde, id ago hoc opere, ut non tantum juris legum asseclis, sed etiam, ut Theologis prosim, qui non immerti-  
to conqueruntur, tam paucos suppetere Commentarios, ex quibus fine pertinacilabore in disciplinâ legum proficere iisdem liceat, cum tamen juris studio summè egeant, si materias de Legibus, de Justitia & Jure, de Restitutione, ac id genus alias intelligere cum fundamento velint. Re-  
linque igitur hunc paragraphum, quisquis ad difficiliora expavescis, ac

me non invito, per saltum, ad paragraphos alios gressum promove.

2 De Prudentia si dixero, quod magistra sit universae honestatis, ac Regina omnium virtutum moralium, non erravero: nullam enim virtutem reperias, cui facem non præferat, ac splendorem non conciliet. Sine hujus luce cæxutiunt actiones nostræ, sine duce rapiuntur in *avia* & *devia*, sine magistrâ incurruunt in vitiorum scopulos, siue sale non sapiunt, sine regulâ à recta rationis trâmite deflectunt. Age ergo! desigimus oculos in Prudentiam, ac curiosè exploremus, quam faciem præferat.

3 Prudentia non beneficio naturæ, sed longo usu, ac indefesso studio comparatur. Hinc juvenes imprudentes audiunt, quia destituantur experientiâ, à quâ, operoso plurimum annorum partu, gignitur Prudentia.

4 Patet latissimè, ac duo genera, toto cælo diversa, nominis sui ambitu complectitur, Prudentiam propriam, & impropriam. Propriam voco, quâ disponimur ad vitam secundùni leges honestatis transigen-dam. Impropriam, quâ idonei reddimur ad alios recte gubernandos. Voco Prudentiam hanc impropriam, quia non tam sapit naturam Prudentiæ, quam artis aut scientiæ: non enim eo collimat, ut humanæ actiones honestati congruant, sed ut proficuæ sint Reipublicæ, aut fortuna belli promovant, vel emolumentum afferant familiæ. Certè, in gubernandis aliis potes esse peritissimus; & tamen alto supercilio despicer leges honestatis. Potes optimè callere regulas gubernandæ Reipublicæ; & tamen indulgere vitiis. Potes bello clatus esse; & tamen sordere flagitiis. Potes eminere legum peritiâ, & tamen præfracte violare leges. Deinde, Prudentia, propriè dicta, versatur circa honestum, quâ tale, ad quod amplectendum voluntatem movet ac dirigit. Hinc qui-cunque habitus non respicit honestum, quâ tale, atque adeò ex fine primario non eo tendit, ut ad virtutis exercitium voluntatem moveat, non sapit indolem Prudentiæ propriè dictæ. Prudentia gubernativa vero non respicit honestum, quâ tale, neque ex fine primario eo tendit, ut ad virtutum exercitium voluntatem inoveat. Evidem convenient Prudentia monastica, & gubernativa in eo, quod proposito certo finit, qualibet hominem recte disponat ad eligenda media, fini illi obtinendo idonea:

idonea: in eo tamen differunt, quod Prudentia monastica, seu propria, disponat ad eligenda media, ut virtutibus homin exornetur, ac ut quævis actio recte rationi congruat: gubernativa verò fine alio, nempe ut res familiars augmentum capiat, aut vis hostium infringatur, vel bonum Republicæ procuretur: qui fines non imbibunt intrinsecè restituendam virtutis, sed consistunt cum malitia in morali: potest enim paterfamilias studere augmentum rei domesticæ ex motivo avaritiae: potest Dux belli iniustere victoriarum ex motivo vanægloriarum: potest Princeps invigilare felicitati publicæ ex motivo arroganterie: qui fines non consistunt cum honestate morali. Prudentia Oeconomica itaque non tam est Prudentia, quam simplex quædam peritia dirigendæ familie. Prudentia militaris non tam est Prudentia, quam ars quædam regendæ militie. Prudentia civilis denique non tam est Prudentia, quam scientia gubernandæ Republicæ, & quidem scientia vera, ac propriè dicta: procedit enim ex principiis certis, & moraliter evidenter, ac perspicue demonstrat, quæ leges huic vel illi Republicæ convenienter: quid Monarchie vel Aristocratiee conduceat, aut noceat: quæ actio congruat justicie, quæ ab eadem exorbitet. Uno verbo, ad Prudentiam propriè dictam requiriatur recta animi disposicio, sive, ut animus noster erga fines virtutum recte sit affectus: quæ affectio non requiritur ad Prudentiam gubernativam, quia potes in regendis aliis esse versatissimus, & tamen fardere vitiis, eoque nomine audire imprudentissimus.

### PRUDENTIA PROPRIA.

**D**icamus initio de Prudentiâ propriâ, quæ ab aliis private, solitaria, & monastica salutatur, ideo fortasse, quia huius adminiculo virtutibus exornamur in bonum proprium. Definitur à variis varie. A plenissime hoc modo: *Est habitus, cum verâ ratione activus eorum, que ad vivâ honeste transigendam pertinent.* Clariorem definitionem adornabis, si dixeris: *Est virtus potentia intellectiva, vi cuius in quovis negotio occurreret animus, quid honestum, quid turpe sit, atque adeo, quid amplectendum, quid fugiendum.*

Nimis in honestas temperantiz, ac etiâ liber alterius virtutis dubiis modis spectari potest, in abstracto, atque adeo, ut preseindit ab hac, vel illâ materia; & in concreto, atque adeo, in quantum respicit hanc

hanc, vel illam particularem materiam, abstinentiam v. g. à cibo & potu. Priore modo spectata attingitur à Synderesi, quæ in genere edicit, temperantia studendum esse. Posteriore modo considerata attingitur à Prudentiâ, quæ in particulari enuntiat, à cibo & potu hic & nunc abstinentum esse. Hinc evincit necitas Prudentiæ. Nam habitus principiorum praticorum circa ea tantum versatur, que sunt per se nota, vel, quia medio carent, quo demonstrantur: vel, tametsi medium habeant, ex primis tamen principiis tantâ luce procedunt, ut sôla penetratione terminorum innotescant. Hoc judicium universale verò ad operationem honestam non sufficit, sed judicium particolare subsequatur, necessare est, quo decernatur, quid in hac vel illâ particulari circumstantia sit honestum. Sic v. g. licet per se constet: *bonum amore, malum odio dignum esse: iustitiam colendam: amico sine causa damnum non inferendum: cultum Deo exhibendum: Divine legi obtemperandum: recta rationi assurgendum esse &c.* Per se tamen non constat, quid in his, vel illis circumstantiis sit honestum, quia non quovis tempore, ac quovis loco, cuiuslibet virtutis exercitium nobis convenit. Certe, licet per se liqueat, temperantia studendum esse: per se tamen non constat, quo moderamine cibis aut potui in hac vel illâ occasione sit indulgendum: nam ex loco, ex tempore, ex quantitate materiæ, ex conditione personæ, ac circumstantiis id genus aliis, determinationem suam recipit temperantia, cuius honestatem proinde sine discursu affequi non possit: ergo necessariò admittendus est habitus, qui ex principiis praticis conclusiones colligat, ac in particulari statuat, quid agendum sit, quid omissendum. Uno verbo, Synderesis in genere tantum enuntiat, quid honestum, quid turpe sit: Prudentia vero ad singularia digreditur, ac in particulari decernit, quid amplectendum, quid omissendum sit.

Illud sanè non expeditum satis, quo titulo, quóve jure Prudentia referatur in censum virtutum cognoscitivarum? Si enim tanquam virtus intellectum perficit, verum infallibiliter attingat, necesse est. Id verò non videtur sustineri posse, quia in syllogismo, quem conficit Prudentia, propositio *minor* sâpe numero est falsa. Fac sanè, quod inculpabiliter existimem, rem, quam emi, fuisse venditoris, atque adeo dominium eius in me translatum esse. Hoc posito, sic arguit Prudentia.

Honestati congruis, retinere rem propriam. Sed res, iitulo venditionis in me translatas, est propria: ergo honestè eam retineo. Ecce! in syllogismo hoc propositio minor est falsa: suppono enim, rem alienam fuisse mihi venditam: ergo conclusio, quam Prudentia inde colligit, non potest infallibiliter esse vera, quia est impossibile, ut verum necessariam connexionem habeat cum falso. Fac iterum, quod ducam Titiam, invincibiliter ignorans consanguinitate mihi junctam esse. Hoc dato, Prudentia sic discutit. Licitè accedo ad eam, quem matrimonio mihi nexa est. Sed Titia matrimonio mihi nexa est: ergo licite accedo ad Titiam. Ecce! in syllogismo hoc minor est falsa: ergo conclusio, inde collecta, non potest infallibiliter esse vera: ergo Prudentia non attingit verum infallibiliter, arque adeò male refertur in censem virtutum intellectivarum.

Sed velum non deest, pro lux opinionis huius castigetur. Summopere itaque adverendum, veritatem speculativam, quam respicit scientia, diversam esse à veritate practicâ, quam attingit Prudentia. Illa desumitur ex eo, quod cognitio conformis sit objecto. Hac verò ex eo, quod actus respondeat regulis practicis, à quibus, tanquam à mensurâ suâ, pender. Hinc judicium, speculativè falsum, practicè potest esse verissimum, 7 utpote conforme regulis practicis, à quibus penderet. Sic v. g. judicium, quo enuntio: Licitè accedo ad Titiam, quia censeo esse meam: in sc. præcise spectatum, potest esse falsum, quia nisi inculpabiliter existimem, Titiam esse meam, non rectè infero, accessum ad eam esse mihi licitum. Id ipsum tamen judicium, ad regulas practicas expensum, potest esse verissimum. Sic enim arguit Prudentia. Licitè accedo ad eam, quam post adhibitam moralē diligentiam probabiliter censeo esse meas. Sed Titiam hoc modo censeo esse meam: ergo ad Titiam licite accedo. In syllogismo hoc propositio maior est evidens, quia fundatur in principiis evidente, in hoc videlicet, quod cū invincibili ignorantia latentis in honestatis non sit ratio peccati; ac quod non possit operari dishonestè, qui conatur, quantum potest, agere honestè. Propositio minor, supposita circumstantia adhibita moralis diligentia, iterum est evidens: ergo etiam conclusio, inde collecta, est evidens, quia ex præmissis certis & evidentiis non potest non sequi conclusio certa & evidens. In syllogismo pratico itaque, quem format Prudentia, propositio minor, de-

bito modo accepta, ac ad circumstantias, quas supponit, ritè expensa, semper est vera. Tametsi enim judicium, quo simpliciter enuntio, rem esse meam, periculo falsitatis pateat: judicium tamen, quo post adhibitam moralem diligentiam, ac expensas omnes circumstantias enuntio, quòd sit probabile, rem esse meam, periculo falsitatis non subjacet, quia, ubi gravis & prudens ratio suadet, rem esse meam, evidenter est probabile, esse meam.

Rem totam lucidius hoc discursu complector. Prudentia non ita arguit: *Ad meam licitè accedo.* Sed Titia est mea: ergo ad Titiam licitè accedo. Neque ita: *Rem meam licitè retineo.* Sed hac res est mea: ergo rem hanc licitè retineo. Sed in hunc modum colligit. *Quisquis id agit,* quod adhibitā morali diligentia, ac pensatis èquâ lance omnibus circumstantiis, censem esse honestum, honestè operatur. Sed dum jam accedo ad Titiam, id ago, quod adhibitā morali diligentia, ac pensatis omnibus circumstantiis censeo esse honestum: ergo ad Titiam honestè accedo. Ostende, si potes, quæ propositio in syllogismo hoc non sit certa & evidens. Primæ inconcussam lucem conciliat immotum illud principium, quòd cum ignorantia invincibili non stet periculum peccati; ac quòd non possit operari in honestè, qui conatur, quantum potest, agere honestè. Secundam à periculo erroris immunem reddit experientia propria: reflexè enim adverto, tantam diligentiam fuisse à me adhibitam, quantum potui. Postremam regulæ bonæ consequentiaz infractam præstant.

Neque benignas aures tibi exhibeo, si reponas, id ipsum cadere posse sub dubium, fueritne adhibita à me sufficiens industria? Redit enim argumentum, quod conacutere nullâ responsione valeas: *Quisquis iuxta lumen rationis, à Deo acceptum, existimat, sufficientem diligentiam fuisse à se adhibitam, evidenter certus est de sufficientia sue diligentie.* Sed ego iuxta lumen rationis, à Deo acceptum, jam censeo, sufficientem diligentiam fuisse à me adhibitam: ergo evidenter certus sum de sufficientia mea diligentie. Certè, nisi velis, Deum pessimè prospexithe humano generi, ac exercitate perpetuâ miseros nos percussisse, fatearis, necesse est, id evidenter nobis esse licitum, quod adhibitā morali diligentia, ac pensatis omnibus circumstantiis censemus esse licitum: pertinebat enim ad bonitatem Dei, hominem redigi non posse in eas angustias, ut quamvis pro viribus

virtus conetur id agere , quod Deo placet , ac honestati congruit ; effugete tamen nequeat formidinem ac periculum , ne de facto fortasse Deo dispiceat , ac irâ Divinâ se dignum reddat.

Plane , licet Prudentia pertineat in censem virtutum cognoscitiva-  
rum ; virtutibus tamen etiam moralibus accenseri potest . Quamvis  
enim non eliciat actus , intrinsecè honestos , ac bonitate morali conspicu-  
os : per se tamen ordinatur ad actus honestos , ad quorum exercitium  
voluntatem movere . Certe , sine Prudentiâ subnasci non potest perfectum  
virtutis opus : hoc enim ut consurgat , nec tantum procedere debet ex  
proposito honesto , sed parari quoque in mediis honestis , quorum determi-  
natio pertinet ad Prudentiam . Cum itaque sine adminiculo Prudentiae  
non possit emergere honestas moralis , virtus moralis non immerito sa-  
lutaratur .

Ad Prudentiam per modum principii requiritur , ut erga fines vir-  
tutum animi nostrarer rectè sit affectus , atque adeò , ut fixum nobis sede-  
at , vitam castam , temperantem , ac reliquarum virtutum pompa orna-  
tam ducere . Affectio hæc si desit , nunquam sequetur , aut bona con-  
sultatio de mediis , aut sana electio . Cur enim , quæso ! de mediis la-  
bores , ad obtinendam temperantiam idoneis , si amore virtutis huius ani-  
mus tuus non distingatur ? Propensionem igitur in virtutes Synderesis  
ingenerat : hæc enim , dum honestatem earum proponit , dum pulchri-  
tudinem ac docentiam commendat , voluntatem , vitiis non deprava-  
tam laudabili fascino in amorem earum inflebit . Scintillæ amoris huius  
ubi intellectui innotescunt , continuò Prudentia proxeneta munus susci-  
pit , ac de mediis anxia , nihil non agit , ut virtutes nexus pulcherrimo vo-  
luntati despondeat .

*Objectum materiale* Prudentia est omnis actio , ad vitam bene insti-  
tuendam pertinens , atque adeò omnis actio capax honestatis .

*Objectum formale* Prudentia est honestas humanæ actionis . Nam i 5  
in habitibus practicis objectum formale , & finis intrinsecus , ac primari-  
us , in unam velut essentiam coalescunt . Sic v.g. objectum formale Me-  
diciæ est sanitas humani corporis ; quæ ipsa sanitas est finis , quem ars  
medendi intrinsecè attingit . Sic quoque , objectum formale artis picto-  
ris est figura v.g. Alexandri Magni ; quæ ipsa figura est finis , quem ars

pictoria per se respicit. *Substantia jam.* Sed finis intrinsecus Prudentiae stat in honestate humanæ actionis: ideo enim in qualibet particulari materia determinat, quid honestum sit, quid turpe, ut veram honestatem humanæ actionibus conciliet: ergo &c. Neque tamen inferre hinc possis, Prudentiam à virtutibus moralibus non distingui: tamen si enim idem objectum formale respiciat; id tamen attingit modo proprio. Virtutes morales siquidem honestatem humanæ actionis respiciunt tanquam bonam: Prudentia verò tanquam veram, quia pertinet in censem virtutum cognoscitivarum, adeoque pro ratione formalis objectivâ habet veritatem, non bonitatem honestæ actionis.

<sup>14</sup> Atque ex iis quæ hactenus disputavimus, facile intelligitur, quomodo differat Prudentia à reliquis virtutibus potentia cognositive. Ab Intelligentia quidem discrepat, quia hæc non attingit, nisi principiis universalia, ac per se nota: illa vero digreditur ad singulatia, ac ex principiis universalibus conclusiones particulares colligit: Adeoque utitur primis principiis practicis, quemadmodum sciencia utitur primis principiis speculativis.

<sup>15</sup> Sapientia differt, quia hæc considerat res praestantissimas per causas altissimas, ac non conclusiones tantum, ex principiis deductas, sed ipsa quoque principia vocat ad trutinam, & eā, quam ferunt, ratione munir. Prudentia verò stabili cursu dilabitur ad singularia, ac quid hic & nunc honestati congregat, monstrat. Deinde, Sapientia nihil molitur, sed in contemplandis rerum altissimarum naturis, ac cognitione rerum aternarum & immutabilium otiosa velut consumitur. Prudentia verò tota quanta est activa, ac omnibus humanis actionibus negotiose se immiscet.

<sup>16</sup> A Scientiâ differt, quia hæc nullum principium assumit, nisi vel per se notum, vel ex per se notis legitime deductum. Prudentia verò pro principio assumit particulares circumstantias, ex quibus conclusiones suas colligit.

<sup>17</sup> Differt denique ab arte, quia hæc per se, ac ex ratione propriâ excurrit ad actionem externam, cui formam imprimit, debito partium ordine circumscriptam. Prudentia verò per se, ac ex fine primario operationes internas dirigit, quibus honestatem conciliare nititur.

Cave quoque, cum Philosophia morali Prudentiam commisucas: 18  
differunt enim, nec confundi possunt, nisi confundere te ipsum velis.  
Philosophia moralis siquidem respicit objectum universale, ac, tametfi  
in genere enuntiet, quae actio honestati congruat, quae non: in particu-  
lari tamen non commonatur, quid in his, vel illis circumstantiis sit am-  
pliendum, quid fugiendum. Prudentia vero exturrit ad singularia,  
ac in particulari edicit, quid in his vel illis circumstantiis honestati con-  
gruat, quid non congruat. Evidem solet Prudentia in unâ præmissa-  
tum assumere conclusionem Philosophiae moralis, ac ex eâ deinde con-  
clusionem aliam, & particulariem deducere: de ipsâ tamen conclusio-  
ne, quam à Scientiâ morali sumit, non judicat, sed eandem supponit  
tanquam notam, ac à Scientiâ morali demonstratam. Sic v. g. Philo-  
phia moralis ita colligit: *Inter capacitatem agentis & indolem actionis,*  
*justa sit proportio, moeſe est: ergo ab homine levioris indolis negotium gra-*  
*vioris momenti non tractandum.* Conclusionem hanc supponit Pru-  
dentia, ac *majorem etiam conficit.* Subsumit deinde experientia pro-  
pria: *sed ego sum homo levioris indolis, ac inidoneus ad negotia graviora.*  
Concludit Prudentia: *ergo negotia gravioribus immiscere me non debeo.*  
Subsumit rursus experientia propria: *sed negotium, quod jam occurrit, est*  
*gravioris indolis.* Infert denique Prudentia: *ergo à negotio hoc abstinere*  
*debeo.* Sic quoque Philosophia moralis ita colligit. *Voluptatibus in-*  
*fringitur vis animi, ac a seris abducitur: ergo homini, ad scientias adspiran-*  
*ti, abstinendum à voluptatibus.* Conclusionem hanc assumit Pruden-  
tia, ac ad dignitatem *majoris evicit.* Subnectit experientia *minorem:*  
*sed ego ad scientias adspiro.* Concludit Prudentia: *ergo abstinere debeo à*  
*voluptatibus.* Subducitur rursus propositio alia, per experientiam, vel  
aliunde cognita: *Sed hec, vel illa actio sapit naturam voluptatis.* Conclu-  
dit denique Prudentia: *ergo ab hac vel illâ actione abstinere debeo.*

Conveniunt itaque Philosophia moralis & Prudentia in eo, quod 19  
utraque ex principiis universalibus conclusiones particulares de hone-  
state, vel malitia humanae actionis colligat. Differunt tamen, quia con-  
clusio, quam subducit Philosophia moralis, ab omni prorsus materia singu-  
lari abstrahit: conclusio vero, quam format Prudentia, necessario at-  
tingit materiam singularem. Sic v. g. Philosophia moralis ita arguit,

*Actus, qui educationem protis adducit in periculum, est in honestus. Sed fornicatio educationem protis adducit in periculum, quia nisi inter virum & feminam vinculum stabile intercedat, educatio protis periclitatur: ergo fornicatio est in honesta.* Ecce! conclusio hæc ab omni planè materiâ singulari abstrahit, ac in genere saltem enuntiat, fornicationem illuvie peccati esse sordidam. Hinc est, quod hanc ipsam conclusionem Prudentia assumat pro principio, ac conclusionem aliam, & singularem inde colligat. Sic enim progreditur: *Fornicatio est in honesta: ergo non licet mihi accedere ad Titiam.* Enī perspicuam differentiam inter conclusionem Scientiæ moralis, & conclusionem Prudentiæ. Illa enim, tamen si attingat speciale vitium; ab omni tamen penitus materiâ singulari abstrahit; hæc verò attingit materiam singularem, ac de congressu carnali, ad quem de facto libido allicit, enuntiat, in honestum esse.

Magna quoque inter Conscientiam & Prudentiam affinitas intercedit; non tam arcta tamen, ut in eandem essentiam coalescant. De hæc verò differentiâ quia judicium ferre non possumus, nisi ante nobis constet, quid sit Conscientia, de hisius indole paucula delibabo; eoque libenter, quod sciam, cum errorem mukorum animis altè impressum esse, ut perniciose censeant, curam conscientiæ à Jureperitis sine danno neglegi. Aliud longè nobis occinit Ulpianus in l. i. ff. h. t. ubi JC&s appellat Sacerdotes justitiae, bonique cultores, ac officium illorum in eo collocat, ut æquum ab iniquo, alicunq; ab illico secernant. Hoc munere verò fungi nequeas sine ope conscientiæ: hæc enim æquitatem & honestatem humanarum actionum determinat. Hinc, quisquis studium bonæ conscientiæ separat à Jurisprudentiâ, ac Pluto, Phitonique sacerdos, quam Sacra Themidi victimas immolat, filius Mammonæ & iniquitatis nuncupari quidem possit, yersus Sacerdos Justitiae non possit.

Definitur Conscientia, quod sit judicium potentiae intellectivæ, et sentiæ, hæc vel illam actionem esse honestam, aut turpam. Respicit vel actionem præteritam, vel futuram. Quæ respicit actionem præteritam, describi potest, quod sit judicium speculativum, quo intellectus censet, hoc vel illud opus bene, aut male factum esse. De Conscientiâ hæc, si iussons sit, & mali nescia, dicimus, quod soletur, quod pacem menti conciliat, quod inter adversitates impavidam rideat, quod cale-

caelestes delicias animo, in terris adhuc exuli, propinet. De eadem vero, si scelerum recordetur, afferimus, quod moneat, quod vellicet, quod angat, quod incropet, quod torqueat, quod castiget. Niinium nullam est scelus, quod non sua ergo sequatur Nemesis. Ipsa Conscientia, cognito flagitiis, ultricia flagella arripit.

*Es nimis sevas reperit de rrimine pœnas.*

Sine apparatu cogit miseros ad tribunal: sine delatore reos agit decocte honestas: sine tormentorum apparatu convincit scelerum: sine lictore flagellat, ac vindictam asperrimam furnit de admissis.

Conscientia, quae respicit actionem futuram, definitur, quod sit judicium practicum, expectans, hanc vel illam actionem esse honestam, aut turpe, eoque hominem amplectendam, aut fugiendam.

*Dividitur in rectam & obliquam.* Conscientia recta est judicium certum & evidens de honestate, aut turpitudine huius vel illius actionis. Conscientia obliqua est judicium falsum, & erroneum de honestate aut turpitudine huius vel illius actionis. Affundamus definitionibus lucem ab exemplis. Fac, quod expensis & qualitate omnibus circumstantiis probabiliter existimem, Titiam justo matrimonio mihi nexam esse. Hoc positio, sic intellectus arguat: Honestè accedo ad eam, quam pensatis omnibus circumstantiis probabiliter censeo esse meam. Sed hoc modo Titiam censeo esse meam: ergo ad Titiam honestè accedo. Conclusio hæc est judicium conscientiae rectæ, quia est conclusio certa & evidens, utpote deducta ex præmissis certis & evidenteribus. Fac contra, quod ex ignorantia vincibili, atque adeò culpabiliter existimem, Titiam justo thorō mihi nexam esse. Hoc dato, intellectus ita colligat: Honestè accedo ad eam, quam censapoße meam: ergo honestè accedo ad Titiam. Conclusio hæc est judicium conscientiae obliquæ, quia est conclusio falsa & erronea, utpote fundata in principio falso & errore: falsum enim est, quod licet accedam ad eam, quam ex ignorantia vincibili, atque adeò culpabiliter censeo esse meam.

His prælibatis, facili negotio commonstro, quæ inter Prudentiam & Conscientiam differentia intercurrat. Nam judicium Prudentiae est essentialement rectum, quia necessario pendet ex principio recto, cum Prudentia, utpote virtus cognoscitiva, non possit disponere intel-

Etum, nisi ad optimum. Contra, judicium Conscientiae potest esse obliquum, quia potest procedere ex principio falso & erroneo. Hinc dari potest actus Conscientiae, qui tamen non sit actus Prudentiae, quia si temere censem, Titiam justo dehalmo mihi iunctam esse, inde que colligam, accessum ad eam mihi esse licitum, formo judicium Conscientiae, non tamen Prudentiae, quia conclusio, fundata in judicio temerario, non potest esse actus Prudentiae. Omne igitur judicium Conscientiae recte est actus Prudentiae, quia procedit ex principio essentialiter recto. Contra, nullum judicium Conscientiae obliquum est actus Prudentiae, quia nulla conclusio Prudentiae pendere potest ex principio falso & erroneo: adeoque Conscientia latius patet, quam Prudentia, quia datur judicium Conscientiae, quod non sit judicium Prudentiae.

25 Functiones Prudentiae plures occurunt, quas inter tres eminent, *Consultatio, Judicium & Imperium*. Consultationem definire possis, quod sit diligens inquisitio, quae media ad finem virtutis obtainendum sint idonea. Judicium describere possis, quod sit actus, quo decernitur, quodnam ex pluribus mediis ad finem virtutis obtainendum sit optimum. Imperium denique definitur, quod sit actus, quo electio certi medii decernitur. Unde advertis, quae differentia inter praelaudatas functiones hiet. Per Consultationem intellectus praecise disquirit, quibus mediis obtainere finem virtutis liceat, absque hoc, quod unum preferat alteri. Per Judicium vero decernit intellectus, quodnam ex pluribus mediis ad finem virtutis obtainendum maximè conduceat. Per Imperium denique intellectus mouere voluntatem nititur, ut medium, iudicio definitum, eligit.

26 Functionibus, proxime descriptis, serviunt tres habitus, *Eubulia, Synesis & Gnome*. *Eubulia* est habitus, quo de mediis recte consultamus. Nam, ut dictum, inter praecipuas functiones Prudentiae locum non postremum occupat *Consultatio*, quâ disquititur, quæ media ad finem virtutis obtainendum conferant, ac quibus commodis, quibus incommode illa substent.

27 *Synesis* est habitus, quo de mediis, in consultationem deductis, secundum communia principia practica, ius naturæ, & leges positivas retum judicium fertur.

*Gnomē* est habitus, quo, neglectis legum verbis, ex altiore principio iudicium ferimus. Eo nimis leges fato laborant, ut casus omnes, qui quotidie emergunt, verborum ambitu complecti nequeant. Hinc æquitatem opus, quā suppleatur, quod legi defecit, ac id decernatur; quod ipse Legislator, si præsens foret, probaturus erat. Sic v. g. lex jubet, ut homicida puniatur ultore gladio. Hac legē non tenetur, qui invasus ab alio occidit aggressorem. Sic quoque lex præcipit, ut res deposita redditar deponenti: legis huius nexus non constringitur depositarius, si gladium furiosus repeatat. Unde vides, quod *Gnomē* non tam verba legis, quām intentionem Legislatoris spectet, atque adeo non tam scripturam, quām æquum & bonum pro mensurā habeat. Atque haec nō differt à *Synesis*: hæc enim considerat verba legis, ac juxta sensum, quē præferunt, pronuntiat; quo respectu custodem legum nuncupare possis. *Gnomē* verò non tam verba legis, quām dictamina æquitatis naturalis ponderat, ac ex principiis altioribus verba legum negligit. Sic v. g. lex jubet, ne civis Romanus muros transcendat. Huic legi pacis tempore obtemperandum esse, monet *Synesis*. At ubi bellum ingruit, ac hostilis legio mortibus imminet, *Gnomē* judicat, hostis repellendi gratia muros transcendendos esse, ne, quod urbi conservandæ constitutum est, convertatur in enī excidium.

Habitui, hucusque descripto, responderet in voluntate virtus, quā Epikria dicitur. Definitur, quod sit virtus, inclinans ad verba legis negligenda, ne virtus alia offendatur. Sic v. g. lex jubet, ut reddas depositum. Sed Epikria suadet, ne reddas gladium, si advertas, ad perpetrandum flagitium reposci, quia Charitas te obligat, ne damni periculo incaute alios exponas. Hac intelligis triam, quās differentias cuneus *Gnomē* ab Epikriā separat. *Gnomē* siquidem intellectum: Epikria voluntatem perficit. Illa attingit æquum & bonum sub ratione veri: Hæc sub ratione honesti. Illa Prudentia: Hæc justitia famulatur.

Administrula, quorum subsidio Prudentia functiones suas perficit, sequentia recensentur: *Memoria*, *Intelligentia*, *Docilitas*, *Prudentia*, *Ratio*, & *Cautio*.

## MEMORIA.

*M*emoria est reminiscētia præteriorum. Ab hæc egregiè perficiuntur

ciuntur functiones Prudentiae, quia dum perpendimus, quid in casu simili nobis, vel aliis, bene aut male cesserit, facile cognoscimus, quid jam expediat.

## INTELLIGENTIA.

- 32** Intelligentia duobus constat, cognitione rerum praesentium, & notitia principiorum moralium. Utraque dispexio valde conductit ad Prudentiam: vix enim est, ut ferre possis sanum judicium, nisi & presentem rerum statum perspectum habeas, & principia moralia percalles.

## DOCILITAS.

- 33** Docilitas est proimptitudo animi ad discendum. Ab hac quoque valde impellitur cursus Prudentiae. Quis enim magis idoneus ad ferendum sanum judicium, quam, qui excusis veteris sapientiae monumentis exploratum habet, quid in simili Plato senserit, quid Seneca, quid viri alii, doctrinam morum incliti.

## SOLERTIA.

- 34** Solertia est vis animi, quam expediti reddimur ad rectum consilium in negotiis subitaneis inveniendum. Ab hac quoque ingens emolumenntum recipit Prudentia. Negotia enim quandoque ingruunt, quae morosam deliberationem non ferunt, sed consilium in arenam desiderant. Huic suggerendo deservit prompta vis animi.

## PROVIDENTIA.

- 35** Providentia est circumspetio animi, quam futuros eventus scrutamus. Equidem futuri notitia servatur in archivio Divinitatis, cuius nemo in terris claviger: Prudenter tamen est, anxiè disquirere quam commendorum & incommodorum turbam actio post se trahat.

## RATIO.

- 36** Ratio est vis animi, quam expediti teddimur ad unum ex alio prompte inferendum. Nec quoque valido praesidio munit Prudentiam: valde enim juvat, si mens nostra à jam intellectis ad cognoscenda & intelligenda alia celeri motu decurrat.

## CIRCUMSPETIO.

- 37** Circumspetio est labor animi, quo circumstantias, negotio connexas, sollicite expeditimus. Nimirum, nihil inconsiderat, nihil temere ager-

egendum, nihil tentandum, cui perficiendo sis impar: nullum negotium tuncipendum, nisi locum, nisi tempus, nisi modum, & circumstan-  
tias id genus alias accurare prius perspexeris.

**CAUTIO.**

**C**autio denique est cura mentis, qua viam nitimur præcludere in  
commodis, quæ negotium circumstant.

Quemadmodum venustarem diurnæ lucis commendant noctis  
tenebræ; sic eximium splendorem virtutibus conciliat vitiorum obscura-  
facies. Doctrina de Prudentiâ itaque ut pleniore luce oculos perstrin-  
gar, de vitiis eius paucula subnecemus. Declinamus autem à Pru-  
dentia regulis, vel per defectum, vel per excessum. Per defectum,  
*Precipitatione, Inconsiderantia, Inconstantia, & Negligentia.*

**PRÆCIPITATIO.**

**P**ræcipitatio est vitium, quo, deliberatione intermissâ, cum impetu  
passionis opus aggredimur. Opponitur Prudentiæ dictanti, ut, an-  
tequam operi accingamur, media, ad finem assequendum idonea, nec  
non modum & ordinem conficiendi operis, ad disquisitionis trutinam  
voceimus.

**INCONSIDERANTIA.**

**I**nconsiderantia est vitium, quod pertæsi moræ, fine dispectione ac prævi-  
tione animi, præproperum iudicium ferimus. Adversatur Prudentiæ,  
jubenti, ne præcipitemus iudicium, ex quo vel nobis, vel aliis evenire  
potest damnum.

**INCONSTANTIA.**

**I**nconstantia est vitium, quo ad omnem fortunæ sœvientis idum ex-  
pallescimus, anime concidimus, ac bona propositia deserimus. Op-  
ponitur Prudentiæ, præcipienti, ut animo infracti, ac spiritu constan-  
tiae obarmati, non quâvis difficultate, velut arundo, ad ludibrium ver-  
torum agitata, deprinamur, sed rationis pondere firmati, in virtutum  
studio immoti persistamus.

**NEGLIGENTIA.**

**N**egligentia est vitium, quô intellectus, socordiâ, segnitieque vinctus,  
omittit inquirere in rationes, quarum impetu concussa voluntas,

impelleretur ad virtutis studium. Adversatur Prudentia, volenti, ut ratio faciem voluntati preferat, cuius luce perfusa, ad amorem virtutum excitetur.

- 44 Supersunt vitia, quibus per excessum, non tam deflectimus, quam exorbitamus à regulis Prudentiae.

### PRUDENTIA CARNIS.

- 45 Huc pertinet I. Prudentia carnis, quâ viri blandimenta querimus, ac omnem curam in eo figimus, ut voluptatum illecebris affluamus. Opponitur Prudentia, quæ finem suum ultimum non figit in bono fragili, fugaci & caduco.

### ASTUTIA.

- 46 II. A Stutia, quâ in media studiose inquirimus, quibus incertos fal-lamus.

### DOLUS.

- 47 III. Dolus, quo media, circumveniendis aliis inventa, ad actum deducimus, ac astutiam, mente conceptam, verbis aut factis exequimur. Executio tamen, factis suscepta, fraudis nomine mactatur.

### SOLICITUDO TEMPORALIUM.

- 48 IV. Sollicitudo temporalium, quâ animus in res terrenas & caducas ita exæstuat, ut à studio virtutum abductus, ac vanissimarum curarum pondere prægravatus, respirare, ac suspirare ad cælum nèqueat. Sollicitudinem moderatam, & diligentiam providam non damnant, sed commendant Sacrae Paginæ. Proverb. 10.

### PRUDENTIA IMPROPRIA.

- 49 Satis de Prudentiâ propriâ. Sequitur de impropriâ, seu Gubernativa, quam supra definivimus, quòd sit habitus, quo idonei reddimur ad regendos alios.

Dividitur in *Oeconomicam, Militarem & Civilem*. Prudentia Oeconomicâ est, quâ idonei reddimur ad regendam familiam. Militaris, quâ habiles reddimur ad dirigendam militiam. Civilitâ denique, seu Politica, quâ expediti reddimur ad gubernandam civitatem.

- 50 Prudentia huius duæ principes occurruunt species, *Architectonica, & Reitoria*. Architectonica est, quæ docet, quomodo constituenda sit

Respublica. Vocatur Architectonica, quia ope Prudentie huius consurgit formidabilis machina Republicæ: hæc enim basin operi substerat, materiam futuræ civitatis præparat, naturam & causas regiminis scrutatur, summam in civitate potestatem disquisitionis lanci appendit, vincula obsequij explicat, subditorum officia determinat &c. Prudentia Rectoria vocatur, quæ Rempublicam constitutam sequitur, ac monstrat, quomodo ritè sit administranda.

Dissimilitudine in tres species, *Legislatoriam*, *Consultatoriam* & *Judicariam*.  
Legislatoria dicitur, quæ Rempublicam constitutam legibus instituit. Laborare debet hæc Prudentia, ut pro omni conditione hominum leges suppetant. Primo quidem pro iis, qui honestum sua sponte appetunt, ut sciant, quæ servanda sint, quæ omittenda. Secundo, pro iis, qui virtutis amore à malo non abstinent, ut formidine pænarum saltem ad regiam honestatis viam perducantur. Tertio, pro iis, quibus frons ad pudorem & honestatem tota jam obduruit, ut ense recidantur, ne pars sincera trahatur.

Prudentia Judicaria est, quæ Leges jam latas respicit. Huius varia sunt munera. Vel eni m I. leges explicat, ac quo sensu latæ, aut receptæ sint, exponit. Vel II. absque respectu ad hunc vel illum casum, varias conclusiones scientificè ex legibus deducit. Vel III. digreditur ad singularia, ac an hoc, vel illud negotitium, de facto occurrentis, legibus congruat, explorat. Vel denique IV. jus secundum leges reddit. Primum & secundum munus Professores legum sibi vendicant: hi enim toti quanti in eo desudant, ut legum sensum perspicuâ explicatione reddant: ut ad principia sua eas revocent: ut conclusiones varias discursu scientifice ex iisdem colligant. Tertio munere funguntur Jure Consulti, & Advocati, qui in id præcipue incumbunt: ut ad facta particularia leges accommodent. Quarto munere distinguntur Judices, qui in id præcipue incumbunt, ut secundum normam legum jus reddant, ac justitiam administrant.

Prudentia Consultatoria dicitur, quæ consilia suggerit, quomodo civitas, secundum universales publicæ utilitatis regulas, sit moderanda. Differt à Prudentiâ Judicaria: quia non respicit negotia legibus definita, ut illa, sed negotia vaga, ac nullis legibus circumscripta, conniciuntur.

turque modis omnibus, ut secundum normam utilitatis publicae, ac universales æqui, bonique regulas expediantur.

55 Plura de Prudentia scire si desideres, adi P. Lessium, qui toto Libro I. D. Jus. & Jur. fuscè & accurate de cādem differit. Velim sanè, ut omnes, qui ad solidam legum scientiam adspirant, opus illud prestantissimum commendatum sibi habeant, in quo Vir eximius non ea tantum, quæ jus naturæ tangunt, sed plurima quoque utriusque juris principia succinctè quidem, solidè tamen, dilucide, & accurate explicat. Utinam Samuel Pufendorff, præferocis Vir ingenii, Lessium, ac Theologos orthodoxos alios, quos alto supercilio audet desplicere, pygmæus scilicet Gigantes, diligentius evolvisset, fortasse opus suum, De jure naturæ & gentium, solidioribus fundamentis instruxisset.

### S. X.

#### *Adstruitur Genus Jurisprudentiae.*

S U M M A R I A.

1. Jurisprudentia est vera pars Philosophia.
2. Jurisprudentia non est Intelligentia.
3. Neque ad virtutem Sapientia revocari potest Jurisprudentia.
4. Jurisprudentia non est merus habitus fidei humanae.
5. Neque est species Prudentia propria.
6. Est tamen species Prudentia improoria, ac portinat ad Prudentiam Judiciariam.
7. Potest etiam Artis nomine mattari.
8. Jurisprudentia talibus instructa est principia, ut plerasque conclusiones suas scientifice deducere ex iudicem posse.
9. Nulla datur scientia, que non suffulta se principiis, lumen natura perspicuis.
10. Principia sunt vel communia, vel propria, & propria vel universalia, vel particularia.
11. Quenam sint principia communia Jurisprudentiae.
12. Quoniam sit principium proprium & universalis Jurisprudentiae.
13. Quenam sint principia propria & particulaaria Jurisprudentia.
14. Quomodo ex iure natura conclusiones suas deducat Jurisprudentia.
15. Quomodo ex legibus positivis.
16. Refutantur ijs, qui censeant, ex legibus positi- vis veras demonstrationes colligi non posse.
17. Leges positivæ non nituntur merâ opinione hominum.
18. Solvitur argumentum, desumptum ex l. 20. ff. De LL.
19. Eliditur argumentum, desumptum ex l. 21. ff. eod.
20. Quomodo ex consensu Authorum Jurisprudentiae conclusiones suas colligantur.
21. Jurisprudentia respicit obiectum verè scientium.
22. Solvitur quadam obiectio.
23. Eliditur argumentum aliud.
24. Jurisprudentia est vera, ac propriè dicta scien- tia.
25. Non omnes juris artifici demonstrari possunt.

Hactenus ad genus Jurisprudentiarum viam nobis munivimus. Lubet ipsum iam iter pede auspicio ingredi, ac ita toto detcuse assertiones plenâ manu spargere. Sit proinde.

**ASSERTIO I.** Jurisprudentia est vera pars Philosophiae. Ita Clariss. Dn. D. Braun part. I. Jurisprud. cap. I. §. 3. n. 1. qui præ aliis totam hanc materiam, mores suo, accurate pertractat.

Probatur ex l. I. §. 1. ff. b. 1. ubi Jurisprudentia à JCto Ulpiano Philosophia vera, non simulata, expressè nuncupatur. Quo encomio sine dubio ideo mactatur, quia non in cortice verborum vano labore hæret, sed nucleus scitatur: neque fumos ac fucos irani quæstu venditat, sed promovendæ felicitati publicæ, merces utilissimas venales exhibet: neque umbram asinii ingloriâ virgulâ perstringit, sed mores hominum severitate censoriâ sub examen vocat: nec denique in lanâ caprinâ umbratile studium defigit, sed speculationibus ad salutem Republicæ translatis, res Divinas & humanas contemplatur §. I. b. t. Confirmatur. Disciplina, quæ procedit per causas, ac proprietates objecti sui ex certis principiis deducit, est vera pars Philosophiae. Sed hoc præstat Jurisprudentia, ut infra demonstrabitur: ergo &c.

**ASSERTIO II.** Jurisprudentia non est Intelligentia. Ita Dn. D. Braun, ubi supran. 3.

Probatur. Intelligentia, seu habitus principiorum, ea solùm attingit, quæ sunt per se nota, vel quia medio carent, quo demonstrantur; vel quia ex primis principiis tantâ lucet sicut flunt, ut solâ penetratione terminorum innoteuantur. Sed veritates, tanto splendore conspicuas, vel plenè non, vel certè non per se attingit Jurisprudentia, quia conclusiones eius vel omnino non procedunt ex primis principiis, aut certè non cù tantâ evidentiâ, ut solâ penetratione terminorum ad assensum intellectus inflectatur: ergo &c. Confirmatur. Neque Jurisprudentia naturalis, neq; positiva est portio Intelligentie. Non illa: quia tametsi utatur primis principiis, per se tamen illa non attingit, sed supponit, tanquam aliunde nota, ac conclusiones suas ex iisdem colligit, neque colligit cum tantâ evidentiâ, ut solâ penetratione terminorum in assensum intellectus disfluat. Non ista etiam: huius enim conclusiones non procedunt impetu necessario ex primis principiis, sed fundantur proximè in arbitriâ voluntate hominum, ac ad summum negative pendent ex principiis naturæ, in quantum videlicet iisdem non repugnant. Promovetur arghumentum. Jurisprudentia, tam naturalis, quam positiva, est discursiva, ac ex

principiis alijs conclusiones suas colligit: ergo neutra meretur nomen Intelligentiaz; hæc enim non discurrit, sed veritatibus universalijs, rectâ terminorum apprehensione cognitis, assensu simplici subscriptit.

**ASSERTIO III.** Neque ad virtutem Sapientiaz revocari potest Jurisprudentia. Ita Dn. D. Braun cit. loc. n. 6.

*Probatur.* Sapientia considerat res præstantissimas per causas altissimas, ac omnium scientiarum principia firmare nititur: ergo Jurisprudentia non est Sapientia, quia neque considerat res præstantissimas per causas altissimas, neque aliarum disciplinarum principiis, tanquam Regina, se immiscet. *Confirmatur.* Jurisprudentia tota quanta occupatur circa actiones hominum, quibus justitiam conciliare nititur, legibus principiorum vices sustinentibus: ergo non est portio Sapientiaz; hæc enim versatur circa res præstantissimas per causas altissimas. *Promovetur argumentum.* Sapientia nihil molitur, sed contemplationi rerum altissimarum & immutabilium immersa, actionem omnem alto velut supercilie designatur: ergo ad sublimem naturam Sapientiaz non assurgit. Jurisprudentia; hæc enim actionibus hominum solo labore insudat, ac justitiaz laudem operoso conatu accersere iisdem properat.

**ASSERTIO IV.** Jurisprudentia non est merus habitus fidei humanae.

*Probatur.* Jurisprudentia plurimas conclusiones format, ex principiis naturæ evidenter deductas, ut infra ostendemus: ergo non est merus habitus fidei humanae; hæc enim assentitur objecto præcisè ob authoritatem & testimonium afferentis. *Confirmatur.* Jurisprudentia non ita arguit: *Testamentum, septem testium signaculis destitutum, est irritum: ergo testamentum Titii est irritum, quia caret septem testium signaculis.* Hic enim arguendi modus, tametsi necessitatem in foro civili inferat, ad dignitatem scientiaz tamen sine dubio non ascendit, quia fide potius, quam ratione nititur. Sed ita colligit Themilogia nostra: *Actus, irritatus ab eo, qui potestatem irritandi habet, est invalidus. Sed testamentum, signaculis septem testium destitutum, est irritatum ab eo, qui potestatem irritandi habet: ergo est irritatum.* In syllogismo hoc nulla propositio fidei merè humanae nititur. *Maior est evidens evidentiæ Metaphy-*

sophyfied. Minor fulget evidentiā morali, quia fundatur in principio, juxta leges Prudentiae certo & evidente, in hoc videlicet: *Quod viri innumeris, sapientie laude illustres, testantur esse verum, non potest esse falsum, quia est moraliter impossibile, in re facti tot homines, omni eruditione conspicuos, hallucinari.* Consequentia edicta Logica evidentiam conciliare.

**ASSERTIO V.** Jurisprudentia non est species Prudentiae propriez.

*Probatur.* Prudentia propria illa dicitur, quā disponimur ad vitam secundūm leges honestatis transigendam. Sed hoc modo non disponimur à Jurisprudentia: hæc enim abstrahit ab honestate actionum humanarum, ac ex motivo felicitatis publicæ, atque adeo ex fine politico id saltem agit, ut justitiae actiones nostræ congruant. Confirmatur. Prudentia, propriè dicta, versatur circa honestum, quā tale, ad quod amplectendum voluntatem moveat: ergo Jurisprudentia non est species Prudentiae, propriè dictæ, quia actiones hominum legibus conformatae nituntur, non, ut ad virtutum exercitium voluntatem moveat, sed ut felicitatem politicam Reipublicæ conciliet. Promovetur argumentum. Ad Prudentiam, propriè dictam, requiritur recta animi dispositio, sive, ut animus noster erga fines virtutum rectè sit affectus. Sed dispositionem hanc non requirit Jurisprudentia, quia fungi possum officio Professoris, Advocati, Judicis, ex fine alio, quam virtutis, puta, vanæ gloriæ, aut avaritiae: ergo Jurisprudentia non est species Prudentiae propriez.

**ASSERTIO VI.** Jurisprudentia est saltem species Prudentiae impropriæ, ac nominatim pertinet ad Prudentiam Judiciariam.

*Probatur.* Prudentia Judiciaria illa dicitur, quæ leges exponit, conclusiones varias ex iis colligit, de jure litigantibus respondet, jus secundūm leges reddit. Sed istæ sunt propriæ ac domesticæ functiones Jurisprudentiae: hæc enim tota quanta in eo desudat, ut leges explicet, ac ad principia sua revocet: ut conclusiones varias ex iis colligat: ut ad facta particularia easdem applicet: ut denique administrationem justitiae promoveat: ergo Jurisprudentia sapit naturam Prudentiae Judicariæ.

**ASSERTIO VII.** Jurisprudentia potest etiam Artis nomine mestari. Ita Ds. D. Brann ubi supr. n. 9.

*Probatur ex i. i. princ. ff. h. t. ubi Jurisprudentia expressè nuncupatur Ars æqui & boni. Confirmatur Ars, latius accepta, est habitus, inclinans ad actionem, cum recta ratione perficiendam: ergo etiam Jurisprudentia sapit naturam artis, quia disponit ad jus secundum normam legum, atque adeò cum rectâ ratione reddendum.*

8. **ASSESSIO VIII.** Jurisprudentia talibus instructa est principiis, ut plerasque conclusiones suas scientificè deducere ex iis possit.

9. Antequam probationi accingar, adverto, nullam dari scientiam, quæ non suffulta sit principiis, lumine naturæ perspicuis, in quæ plerasque conclusiones resolvi possint. Omnis enim scientia fundatur in progressu discursivo, quo intellectus à notis procedit ad ignotæ. Principia verò illa, à quibus progreditur, non possunt supponere principia rursus alia & alia, quia omnis tandem motus debet reduci posse ad principium immobile, nisi excurrere velis in imminensum, ac fateri, nullam cognitionem humanam à periculo erroris iramunem esse, cùm firmo pariete niti nequeat notitia, cui fundamentum immotum non succollat.

10. Principia verò, quibus utuntur scientiæ, sunt vel communia, vel propria. Communia appellito, quibus plerasque Scientiæ utuntur ad conclusiones suas demonstrandas. In hunc censem pertinent prima principia, tum speculativa, tum practica, quæ scilicet tantâ luce intellectum feriunt, ut solâ penetratione terminorum innotescant: hæc enim plerasque scientias pervagantur, eamque necessitatem perséferunt, ut iisdem non suppositis demonstratio vix ulla consistat. Principia propria vocito, quibus particulares Scientiæ utuntur tanquam domesticis. Dividuntur in universalia, & particularia. Universalia nuncupo, quæ certam Scientiam ita percurrent, ut in illa conclusiones omnes ultimè resolvi possint. Vocari etiam solent prima, non quod ex aliis non sint deducta, sed quia intellectus, huic vel illi Scientiæ intentus, de iis plane non laborat, sed tanquam demonstratis assensu simplici subscriptit. Non prima dico, quæ huic, vel illi scientiæ ad certas demonstrationes quidem serviant, sic tamen, ut conclusiones omnes virtute non contineant.

11. Attempo jam principia, tam communia, quam propria, & propria tam universalia, quam particularia, ex quibus Jurisprudentia conclusiones suas scientificè deducit. Principia communia suggirit textus in §. 3.

q[ui] ubi tria recensentur juris præcepta : Honestè vivere : alterum non Ledere : suum c[on]i[qu]e tribuere. Voco principia hæc communia , quia non Jurisprudentia tantum , sed omnes reliquæ Scientiæ morales iisdem utuntur , tanquam lumine naturæ perspicuis , ac plerisque conclusiones suas ultimum ex illis colligunt . Certe in Jurisprudentia conclusionem vix ullam monstres , quæ non in unum ex tribus illis principiis scientificè resolvi possit . Sic v.g.edicte Jurisprudentia , Deum colendum , Parentes honore prosequendos , obedientiam iis exhibendam esse , quibus potestas imperandi affides . Conclusiones has ex primo juris præcepto sic dedit . Id agendum nobis , quod honestatis laudem vita nostra conciliat . Sed cultus Dei , honor parentum , obedientia , superiorum præceptis intensa , honestatis laudem vita nostra conciliant : ergo Deus à nobis colendus , parentes honore prosequendi , obedientia legitimis superioribus exhibenda . Sic quoque enuntiat Jurisprudentia , homicidium gravì pœnā plectendum esse . Conclusionem hanc ex secundo juris præcepto sic colligit . Actus , quo graviter offenditur Res publica , ac disciplina eius , meretur gravem pœnam . Sed homicidium est actus , quo graviter offenditur Res publica , ac disciplina eius : ergo meretur gravem pœnam . Sic etiam decernit Jurisprudentia , fructus , malâ fide ex re alienâ perceptos , domino reddendos esse . Conclusionem hanc ex tertio juris præcepto ita colligit . Quod jure dominii pertinet ad alterum , id est eidem est reddendum . Sed fructus , malâ fide ex re alienâ percepti , jure dominii pertinent ad alterum : ergo eidem sunt reddendi .

Principium proprium , & universale Jurisprudentiæ stat in sequenti axiomate : Legi justa obtemperandum est , dum obligatione eius non sollevar . Principio hoc tota nititur Jurisprudentia . In jure universo conclusionem vix ullam repetas , quæ ad principium hoc reduci nequeat . Si petas , cur testamentum , septenario testium suffragio destitutum , sit iritatum ? responsio non alia suppetit , nisi , quia legitima potestas jubet esse iritatum . Si roges , cur pupillus , sine tutoris autoritate contrahens , obligationem non subeat ? aliud non succurrat , nisi , quia lex obligationem aufert . Si inquiras , cur fur manifestus plectatur pœnam quadruplicem non aliam responsionem feret , nisi , quia pœnam hanc lex determinat . Si postules , cur homo , pretii participandi gratiâ se ipsum videnter , libertate cadas ? redibit antiqua cantilena , quia in pœnam im-

probitatis lex eidem libertatem adimit. In hoc itaque principium, tamquam in domesticum & universale, omnes ferè conclusiones juris resolvuntur. Principium hoc si admittas, de plerisque aliis, in jure occurrentibus, nullo negotio te convincam. Id verò si negare præfracte audeas, demonstrationes passim deficient, quibus legum capita tibi persuadear.

13. Principia propria & particularia Jurisprudentiae consistunt, partim in jure naturæ, partim in legibus positivis, tum scriptis, tum non scriptis, partim denique in consensu & suffragiis Authororum.

14. Ex jure naturæ Jurisprudentia conclusiones innumeratas deducit, ac plerisque leges in principium aliquod, lumine naturæ notum, scientificè resolvit; modo tamen alio & alio; aliquando positivè, aliquando negativè. Positivè toties, quoties monstrat, legem virtualiter includi, ac latere in principio quodam naturæ. Negativè verò, dum ostendit, legem principiis naturæ adversam non esse. Sic v. g. lex enuntiat, *spolium, aut homicidium mandari non possit.* l. 6 §. 6. ff. Mand. Legis huius placitum sic demonstrat Jurisprudentia. *Non potest dari vinculum juris, adstringens ad aliquid in honestum: ergo non tenet mandatum spolii, aut homicidii, quia datur vinculum juris, adstringens ad aliquid in honestum.* Sic quoque edicit jus civile, *venditionem esse nullam, si contrahentes in corpore dissentiant.* l. 9. princ. ff. De contrah. empt. l. 57. ff. De O. & A. Hoc juris caput sic demonstrat Jurisprudentia. *Sine consensu non tenet contractus: ergo si contrahentes in corpore dissentiant, non tenet venditio.* Sic videas, servitutem, ac modos eius constituendæ authoritate legum nisi. Hoc juris suffragium Jurisprudentia ita firmat: *Servitus per se nullam invocat in honestatem, neque recte ratione adversatur: ergo potuit lege humana introduci.*

15. Leges positivæ quoque innumeris demonstrationibus fundamētum substernunt. Sic enim colligit Jurisprudentia. *Contractus, sine testore initus, ex parte pupilli est ipso jure nullus: ergo ex contractu tali pupillus non obligatur.* Item: *Ex pacto nudo non descendit utio: ergo si duo conveniant de permutandis libris suis, neuter conveniri potest.* Rursus: *Ad usucaptionem requiritur bona fides: ergo supposita mala fide usucatio non conferat dominium.* Fateor sane, adducta recens argumenta, si præcisè suman-

fumantur, ut jacent, ad demonstrationis prærogativam non pertingere, cum antecedenti fides potius, & legis authoritas suffragetur. Si tamen ad justas differendi leges revocentur, ad demonstrationis laudem nihil deesse iis deprehendes. Sic proinde differit Jurisprudentia. *Contractus*, ex justâ causâ à lege irritatus, non inducit obligationem. Sed *contractus*, sine tutori à pupillo initius, ex justâ causâ est à lege irritatus: ergo non inducit obligationem. Item: *Conventio*, quam litium minuendarum gratiâ lex juberet esse inefficacem, actionem non parit. Sed postum de permutandis equis est *conventio*, quam litium minuendarum gratiâ lex juberet esse inefficacem: ergo actionem non parit. Rursus: Sine quo lex usucaptionem non vult procedere, sine eo non confert dominium. Sed absque bona fide lex usucaptionem non vult procedere: ergo sine hac non tribuit dominium. Deinde, innumeræ definitiones in jure occurunt, quas vel ipsæ leges formant, vel exhibitâ nrateriâ relinquunt nobis formandas. Tot jam ego in Jurisprudentiâ demonstrationes tibi polliceor, quot definitiones numeraveris. Si definias dominium, quod sit jus, nomine proprio de re disponendi, scientifice infertur, usumfructum cum dominio in eandem es- sentiam non coalescere, quia jus non tribuit de re, in fructum concessâ, perfectè disponendi. Si agnatum asseras esse illum, qui per masculum cognatione mihi jungitur, evidenter colligo, sororis filiam mihi agnatam non esse, quia non per masculum cognatione mihi jungitur. Si actionem realem nuncupes esse illam, quæ nascitur ex jure in re, apertissime concludo, rei vindicationem pertinere in numerum actionum realium, quia oritur ex dominio. Est enim immotum Philosophorum axioma: *De quoquaque affirmatur, vel negatur definitio, de eodem affirmatur quoque vel negatur definitum, & versa rotâ*. En igitur densam demonstrationum juridicarum sylvain, quibus omnibus leges positivæ fundamentum substernunt, ut meritò de his supra dix̄rim, demonstrationes innumeræ deduci ex iis posse.

Sunt tamen, qui in omnia alia discedant, ac censeant, ex legibus positivis veras demonstrationes deduci non posse. Arguant illi hoc modo. Conclusio scientifica debet nisi principiis certis & immutabilibus: ergo conclusio deducta ex legibus positivis non est scientifica: haec enim non sunt certae & immutabiles, cum pendeant ex instituto hominum, ac

figi, refugique possint. Sed ad argumenti huius supercilium, tanquam ad dictatoriam maiestatem, non expavesco. Tametsi enim Leges posti-  
væ ab arbitrio hominum eo sensu pendeant, quod promulgari possint,  
vel non possint; si tamen semel juris titulo sint conspicuæ, à principiis æ-  
ternæ veritatis directionem capiunt, eoque respectu innumeris demon-  
strationibus fundamentum substernunt. Quis neget veritatis incon-  
cussæ gloriâ fulgere hæc axiomata? Actus, commensus sua regula, est ju-  
stus: Contractus, legum auctoritate nixus, parit obligationem: Consensus,  
legum decreto irritatus, non constringit juris vinculo: Voluntas, juris calculo  
munita, transfert dominium: Altus, severa legum comminatione perstric-  
tus, meretur gravem pœnam: Actus, jurium indulgentia circumscriptus,  
castigationem non formidat. His principiis verò si jungantur leges, innu-  
meras demonstrationes secundo partu gignent. Sic enim licet con-  
cludere. Actus, commensus sua regula, est justus. Sed venditio, in qua  
pretium justa proportione respondet merci, est commensus sua regula: ergo est  
justa. Similiter: Contractus, legum auctoritate nixus, parit obligationem:  
At societas, honesto fine, ac juxta normam justa equalitatis inita, mititur  
auctoritate legum: ergo parit obligationem. Item: Consensus, legum decre-  
to irritatus, non constringit juris vinculo. Sed consensus, quo prodigus sine  
curatore suo promittit centum, est legum decreto irritatus: ergo non constringit  
juris vinculo. Iterum: Voluntas, legum calculo munita, transfert do-  
minium. Sed voluntas, qua dominus, alienare non prohibitus, rem propri-  
am donat Titio acceptanti, est munita legum calculo: ergo transfert domini-  
um. Rursus: Actus, severa legum comminatione perstrictus, meretur gra-  
vem pœnam. Sed corruptio albi prætorii est actus, severa legum comminatione  
perstrictus: ergo meretur gravem pœnam. Denique: Actus, benevolentia  
legum circumscriptus, castigationi non substat. Sed concubinaria conjunc-  
tiō est actus, benevolentia legum circumscriptus: ergo castigationi non sub-  
stat.

7 A veritatis augustâ porrâ longius iij. recedunt, qui leges positivas ad  
demonstrandum ineptas ex eo capite configunt, quod ratione vacue  
solâ nitantur opinione hominum. Digna profecto sententia, cui aquâ  
& igni interdicatur! Certè solam Digestorum volumen si per currere  
sustineas, plerasque leges ex limpidissimis naturæ fontibus deductas esse  
de-

deprehendes: fuerunt enim Icti, ex quorum fragmentis systema Pandectarum coaluit, juris naturalis peritissimi, ac summa industria id egerunt, ut responsa redderent, intrae rationis luce conspicua.

Evidem fateor, non omnium, que à Maioribus nostris constituta sunt, rationem reddi posse l. 20. ff. De LL. Sed quid tum postea? Sufficit, potissimos legum articulos rationis pondere firmari posse. Deinde, tamen si determinate semper non constet de illâ ratione, quâ Legislator motus fuit ad legem promulgandam; plerumque tamen occurrit ratio alia, ad commendandam legis prudentiam idoneam. Sic v. g. si roges, cur ad testamentum requirantur septem testes? recte subjungo, quia numerus iste Legislatori visus est sufficiens ad fraudes à testamento arcendas. Si urgeas, cur non potius numerus sexenarius, aut octonarius arriserit? prudenter subneceo, quia numerus aliquis debuit determinari: ergo cum numerus septenarius visus sit sufficiens ad fraudes praecavendas, prudenter potuit determinari. Ad hanc, tamen quandoque non superat ratio legis positiva; semper tamen occurrit negativa: sic enim concludere plerumque licet: *Neque recta ratione, neque utilitati publica adversatur, hoc vel illud statui: ergo pornit statui.*

Sed neque illud argumentum in diversum trahit, quod defumitur ex l. 21. ff. De LL. ubi negat Ictis, in rationem legis inquirendum esse, ne alioquin multa, quae certa sunt, subvertantur. Fateor enim, in rationem legis eo animo inquirendum non esse, ut juris nexu constriangi non ante vellimus, quâ de ratione eius nobis constituit: perniciosum enim foret, ac exemplo grave, obligationem legis pendere à crisi & censurâ tot hominum. Interim nil vetat, in rationem legis eo animo inquirere, ut de vero sensu eius constet, ac liqueat, quibus limitibus sit conclusa, quosve casus orationis ambitu complectatur. Argumenta reliqua falso contemptu disfringo.

Denique etiam ex consenu & suffragio Authorum Jurisprudentia conclusiones scientifice deducit; non passim quidem, sed, ubi de significacione verborum questio procedit, vel in dubiuim trahitur, quo sensu lex recepta sit: optima enim legum interpres est consuetudo l. 37. ff. De LL. Sic proinde differit Jurisprudentia. In questionibus facti communis sententia Doctorum inducere evidentiam moralē, quia ex depositio-

ne tot testium, sine contradictione facto subscriptentium, resultat plenissima probatio, ac evidētia moralis. Sed est quæstio facti, quam significationem hæc, vel illa vox habeat, aut quo sensu hæc vel illa lex sit recepta: ergo in quæstione unâ & alterâ consensus omnium Authororum inducit evidētiam moralem, quia est impossibile, à tot peritis ignorari, quam usurpationem vox habeat, aut quo sensu lex sit recepta.

**ASSERTIO IX.** Jurisprudentia habet objectum verè scientificum.

*Probatur.* Objectum scientificum illud dicitur, quod veras proprietates habet, quæ de eodem demonstrantur. Sed tale respicit Jurisprudentia, quia, ut infra dicetur, huius objectum est actio justa, quæ, sive in genere spectetur, sive in specie, veris proprietatibus circumfluit: ergo &c. *Confirmatur.* De actione justâ in genere ostendit Jurisprudentia, quod valeat, quod obligationem restituendi non pariat: quod sine causa retractari nequeat. In specie, demonstrat de venditione justâ, quod pariat obligationem tradendæ mercis, ac evictionis præstandæ: de testamento justo, quod jussu sedendi in universa bona, à defuncto relicta tribuat: de possessione justâ, quod fructuum perecipiendorum potestatem conferat &c. ergo objectum tam genericum, quam specificum Jurisprudentiae habet veras proprietates, quæ de eodem demonstrantur.

**2.** Ne ratis assertionis nostræ, adversæ procellæ impetu abrepta, in syrtes impingat, luet arcere scopulos, ac removere obstacula, quibus cursus disputationis frangi possit. Sic proin fortè argues. De singularibus non datur scientia. At Jurisprudentia versatur circa singularia, nimirum actiones hominum: ergo non est scientia. Sed utroque crure claudicat paralogismus iste: propositio maior, & minor à vero defleunt. Ita quidem, quia supra ostendimus, de singularibus veram dari scientiam. Ista verò, quia Jurisprudentia per se non respicit singularia, sed attingit actionem justam modo universalis, nempe ut abstrahit ab hac vel illâ singulari materia: neque enim Jurisprudentia per se de hoc vel illo testamento statuit, esse validum aut invalidum, cùm singulorum infinita sit turba: sed in genere enuntiat, testamentum, septem testimoniū suffragio destitutum, esse invalidum. Tamen verò deduci hinc possit, etiam hoc vel illud testamentum esse invalidum; id tamen non contur-

hat rationem scientiarum, quia in quoyis discursu scientifico propositio particularis continetur sub universalis. Quemadmodum enim, si in genere concludam, hominem esse rationis compotem, eadem operâ subduco, Titum esse rationis compotem: sic quoque, si in genere inferam, testamentum absque numero septem testium non consistere, eodem labore colligo, testamentum Titum esse irritum.

Nondum fortè acquiescis, sed navigium assertionis nostrâ quaßa-  
re sequente arguento sustines. Actio humana justa est contingens,  
quia pendet ex liberâ voluntate hominis: ergo non constituit objectum  
scientiarum; hæc enim desiderat objectum necessarium ac æternum. Sed  
non est ratiâ vis argumenti huius, ut non obviâ responsione frangi,  
debilitarique possit. Fateor enim, actionem justam pendere ex volun-  
tate hominis quoad existentiam: nego tamen, pendere quoad essentiam,  
quia si libera voluntas velit agere, debet agere ex præscripto legum: alio-  
quin aut nihil ager, aut certe finem præfixum non attinget. Sic, licet  
in libero meo stet arbitrio, velim ne matrimonium contrahere, vel non;  
si tamen contrahere fixum sedea, teneor me conformare legibus, ac ea  
omnia observare, quæ ad substantiam matrimonij jura exigunt; alioquin  
nil minus contraho, quam matrimonium. Pendet itaque actio justa à  
liberâ voluntate hominis quoad existentiam, non quoad essentiam:  
hanc enim ab æterno habet, quia est immota, ac temporum injuriis non  
subjecta veritas, quod actio justa debeat commensâ esse regule.

A S S E R T I O X. Jurisprudentia est vera, ac propriè dicta scien-  
tia. Ita Dn. D. Braun ubi supr. n. 10.

Probatur solide ex dictis. Habitus, qui respicit objectum scientificum, ac circumfluit principiis universalibus & certis, ex quibus conclu-  
siones suas colligit, est verè scientificus. Sed talis est Jurisprudentia, ut  
monstravimus: ergo est habitus verè scientificus. Confirmatur. Ju-  
risprudentia est habitus, ex demonstratione ortus: ergo sapit indolem ve-  
rae scientiarum. Antecedens operâ non aliâ facilius evicero, quam si demon-  
strationesquasdam juridicas in medium attulero.

Tribunal itaque augusto pede Justinianus scandat, ac edicat, per  
seruum omnis acquiri domino §. 3. Per quas personas cuique acquir. Edi-  
ctum hoc Themisophia ita firmat. Quæ patrimonio alieno ipse conteine-

*tur, nihil habere potest in suo patrimonio. At Servus in patrimonio alieno ipse continetur: ergo nihil habere potest in suo patrimonio.*

Secundâ vice prætorium subeat sacer Legislator noster, ac decernat, res sacras alienari non posse §. 8. De rer. Div. Decretum hoc ita munit Legum Scientia. Res exempta commercio humano alienari nequeunt. Sed res sacra sunt exempta commercio humano: ergo alienari nequeunt.

Tertiâ vice pro tribunali sedeat Princeps noster, ac pronuntiet, bestias, in naturali libertate relitas, cedere occupanti §. 12. De Rer. Div. Constitutionem hanc sequente discursu Themilogia roborat. Quae sunt nullius, cedunt occupanti. Sed fera bestie, in naturali libertate relicte, sunt nullius: ergo cedunt occupanti.

In atrio suo Ulpianus confideat, ac domestico suffultis solio responsit, res alienas nomine proprio alienari non possit. 20. princ. ff. De A. R. D. Responsu[m] hoc sequente apodixi circumferib[us] Jurisprudentia. Alienatio est actus, quo i[nt]ransfertur dominium. Sed rei alienae nomine proprio non potest transfigurari dominium: ergo res aliena non potest nomine proprio alienari.

In publicum Ulpianus prodeat, ac fôto transverso ambulans consilienti acclamet, ob gratiosam sententiam datum judici, hereditibus extorquendum esse l. 5. princ. ff. De calunn. Assertum hoc sequenti argumento circumvallat Legum Prudentia. Quod sapit turpe lucrum, extorquendum est hereditibus. Sed quod ob gratiosam sententiam oblatum est judici, sapit turpe lucrum: ergo extorquendum est hereditibus. Mensis non sufficiat recensendis demonstrationibus, quas conficit Jurisprudentia. Hunc ipsum sanè commentarium tot scientificis argumentis instruam, ut quivis facile sit perspecturus, demonstrationum copiâ Jurisprudentiam nulli disciplinæ secundam esse.

Evidem tam deperditæ non sum frontis, ut censeam, omnes plantæ juris articulos ad demonstrationis lineam reduci posse: scio enim, siemandis legum capitibus rationes quandoque non alias, quam probabiles suppeterem. At, si ideo Jurisprudentiam excludere velis è numero scientiarum, eâdein operâ disciplinas reliquas ex atrio scientifico ejecris, cum ad eam felicitatem nulla pertingat, ut conclusiones omnes inconcuso demonstrationis robore firmare possint.

CAPUT.

## CAPUT II.

De naturâ specificâ Jurisprudentiae  
Civili.

**A**dstruximus genus Jurisprudentiae civilis. Ordo postulat, ut differentiam eius specificam adornemus. Hæc vero, quia in habitibus definiuntur ab objecto, industria omnis in eo jam defigenda, ut objectum Attis nostræ doctrinæ perspicuâ exponamus. Ceterum, ne temere, accresco impetu tractatio excurrat, hisce limitibus discursum coarctabimus. Primo, notitas quasdam, è Philosophiâ de promptas, prælibabimus. Deinde expendeimus, quem fñem Jurisprudentia civilis habet. Tum objectum materiale & formale eius determinabimus. Denique ostendemus, quomodo ab aliis Scientiis moralibus Ars nostra differat.

## S. I.

## Præcognita.

## S U M M A R I A.

- 1. Exponitur, quidnam dicitur objectum materiale, quidnam formale, quod totale.
- 2. In habitibus practicis finis & objectum formale.
- 3. Exponitur, de quo sine id sit intelligendum.
- 4. Summa parsur assertionebus.

**O**biectum materiale & formale variij varie definiunt, quorum placita referre, nec volo, nec debedo, ne videar quæstiones de nomine, studio & obtorto velut collo, velle in jussu sapere. Transibo proinde in studio hoc Philosophico cum sententiâ communi, ac, quod fusè alii disquirunt, paucissimis perstringam. Objectum materiale, juxta communiorum sententiam, illud dicitur, quod per se quidem, non tamen propter se attingitur ab habitu. Formale est ratio illa, propter quam objectum materiale per se attingitur ab habitu. Objectum materiale comparare possis materiæ primæ: uti enim hæc est indifferens ad varias, ac diversas formas recipiendas; sic etiam objectum materiale est indifferens, ut ab hoc, vel illo habitu attingatur. Objectum formale assimilare possis formæ substanciali: quemadmodum enim hæc determinat indifferentiæ materiæ, ac contrahit ad certum genus entis; sic etiam objectum formale restringit indifferientiam objecti materialis, ac contrahit ad certum &

determinatum habitum. Objectum formale itaque est ratio illa, per quam determinatur objectum materiale, ut ab hoc potius, quam illo habitu per se attingatur. Objectum, quod ex materiali & formalis coalescit, totale, seu adæquatum satagitatur. Sic v. g. corpus hominis est objectum materiale Medicinæ, quia ab hac per se quidem, non tamen propter se attingitur. Sanitas vero est objectum formale, quia propter hanc corpus hominis attingitur à Medicinâ: per se enim corpus hominis est indifferens, ut consideretur, vel à Physicâ, vel Medicinâ. Quod ergo à Medicinâ potius, quam Physicâ attingatur, ratio sanitatis efficit. Corpus sanum denique est objectum totale & adæquatum Medicinæ.

In habitibus practicis finis & objectum formale constanti nexione in unam, eandemque essentiam coalescunt; adeoque, si de objecto formalis disciplinæ practicæ labores, in finem eius inquire, quo inventus, objectum formale suâ sponte occurret. In disciplinis practicis siquidem objectum formale illud dicitur, quo moveatur habitus ad operandum: ergo, cum moveatur à fine, hic locum objecti formalis sustinet, necesse est. Sic v. g. finis medicinæ est sanitas humani corporis; quæ ipsa sanitas vicem objecti formalis sustinet: ab hac enim excitatur habitus medicinæ ad operandum.

Cæterum, meminisse oportet, in habitibus practicis finem triplicem occurtere. Unum artifex sibi præstituit. Alterum opus, seu artefactum respicit. Ad tertium Ars ipsa, per se, & quæ talis, ordinariuntur. Finis, quem artifex in usu artis sibi præstituit, variat, ac quandoque speculaci, quandoque cupidine clari nominis, aut realiæ concluditur. Finis operis stat in emolumento & commodo humanæ felicitatis, quod ex usu operis emergit. Finis artis denique is dicitur, ad quem habitus per præcepta sua intrinsecè ordinatur; adeoque est ipsum opus, quod secundum regulas artis ab habitu perficitur. Primi duo fines, quia respectu artis sunt planè extrinseci, in objectum formale non transeunt. Ultimus vero, qui ab arte per se intenditur, vicem objecti formalis sustinet.

Suppono tanquam certum, Jurisprudentiam civilem esse practicam, quod suo infra loco demonstrabo. Ut proinde objectum formale Jurisprudentiaz oculos perspicuâ luce subcat, à fine ducam initium, ac

At etiam explorabo, quae finem respiciat Jurisprudentia civilis. De hoc enim ubi semel constitetur, non erit deinceps de objecto formaliter. Disciplinæ nostræ anxiè nobis laborandum.

## §. II.

## De fine Jurisprudentiae Civilis.

## S U M M A R I A.

1. *Finis proximus*, ac per se intentus Jurisprudentiæ civilis stat in naturali justitiâ actionum humanarum.
2. *Finis proximus* & intrinsecus Jurisprudentia civilis non est sola iustitia communitativa, sed iustitia legalis seu universalis.
3. *Finis ultimus* Jurisprudentia civilis non con-
- sistit in felicitate & iustitia interius hominem.
4. *Finis ultimus* Jurisprudentia civilis etiam non consistit in felicitate externâ singulorum hominum.
5. *Finis ultimus* Jurisprudentia civilis stat in paci-  
e, & felicitate politice totius Republica.

**A**SSESTITO I. Finis proximus, ac per se intentus Jurisprudentiæ civilis, stat in naturali justitiâ actionum humanarum. Ita Clariſſ.

Dn. D. Braun par. 1. Jurisprud. rap. 1. §. 6. n. 1. & seq.

*Præbatur.* Jurisprudentia civilis ad eundem finem tendit, ad quem leges, quibus utitur, tanquam principiis domesticis, quia, quem finem respiciunt principia, tandem quoque respicit scientia, quæ iisdem utitur. Sed finis legum proximus & intrinsecus stat in naturali justitiâ actionum humanarum: ideo enim feruntur, ut actiones hominum iisdem conformantur: ergo finis proximus & intrinsecus Jurisprudentiæ civilis stat in naturali justitiâ actionum humanarum. *Confirmatur.* Finis proximus & intrinsecus disciplinæ practicæ censetur, ad quem habitus per regulas suas intrinsecè ordinatur, ac quo obtento quiescit. Sed Jurisprudentia civilis per regulas suas intrinsecè ordinatur ad justitiam, quia omnes ipsius regulæ non sunt, nisi præcepta quedam justitiae; hacque obtentâ qui-  
elicit: ergo finis proximus, & intrinsecus Jurisprudentiæ civilis est justitia.

*Præmoveatur argumentum.* Ex eo, quod Philosophia moralis tota præceptorum suorum apparatu in id collimet, ut actionibus humanis honestatem conciliet, bene infertur, finem primarium, & intrinsecum Philosophiæ moralis consistere in honestate actionum humanarum: ergo etiam ex eo, quod Jurisprudentia civilis omnibus præceptis suis id agat, ut actionibus humanis justitiam accersat, bene infertur, finem primarium & intrinsecum Jurisprudentiæ consistere in justitiâ actionum humanarum.

**ASSERTIO II.** Finis proximus & intrinsecus Jurisprudentiae civilis non est sola justitia commutativa, sed justitia universalis, seu legalis.

**Probatur.** Finis Jurisprudentiae civilis est idem, qui legum civili-  
um. Sed finis legum civilium est justitia universalis, quia non tantum  
de justitia particulari, sed de aliis quoque virtutibus in Legislatione Ro-  
manâ statui adveritas. Vera Religio decernitur, dum haeresis & apo-  
statis poenæ variæ dictantur *l. 1. C. De her. & apost.* Gratitudo præcipitur,  
dum immigrati liberti combinatione servitutis perstringuntur *l. 2. C. De li-  
bert.* Castitati consulitur, dum pupillus apud cognatum, de inconti-  
nentiâ suspectum, prohibetur educari *l. 5. ff. Ubi papill. educ. deb.* Libidi-  
ni dies dicitur, dum Lenocinium infamia cauerio signatur *l. 1. l. 4. §. 2.*  
*ff. De his, qui not. infam.* Temperantia authoritate juris concluditur,  
dum monstrosa venus comminatione poenæ gravissimæ circumscribitur  
*l. 3. l. 4. C. Ad Leg. Jul. de adult.* Reverentia parentum ad necessitatem ju-  
ris reducitur, dum liberi, impietate vecordes, ptenis varnis castigantur  
*l. 3. l. 4. C. De patr. pot. l. pen. ff. De iuris voci.* Fortitudo commendatur,  
dum miles, stationis desertæ rebus exauditoratione plectitur *l. 2. §. 2. ff. De*  
*his, qui not. infam.* In honestas morum in jus rapitur, dum ii, qui ar-  
tis ludicrae gratia in scenam prodeunt, infamia notantur *l. 1. l. 2. §. ult.*  
*ff. cod.* Prætereo virtutes alias, de quibus passim leges nostræ statuunt.  
**Confirmatur.** Jus civile non potest finem suum assequi, nisi etiam in ma-  
teria aliarum virtutum statuat: finis enim juris huius stat in felicitate po-  
litica Reipublicæ; qui finis obtineri non potest, nisi plerique virtutes  
morales in eommunitate florent. Si cives religione discordent, flau-  
etuabit internis motibus concussa navis felicitatis publicæ. Si in vene-  
rem illicitam populus exuestet, frangeretur animorum vigor, ac propa-  
gatio humani generis contabescet. Si prodige sua disperdat libidini,  
egestate labôrabit Respublica. Si fortitudo exulet, furor hostium ce-  
det imbellis patria: ergo finis legum civilium, atque adeò etiam Juris-  
prudentiae civilis non circumscribitur solâ justitia particulari. Deinde,  
munus proprium Jure consulti stat in eo, ut æquum ab iaiquo, licitum ab  
illicito secerat *l. 1. §. 1 ff. h. t.* ergo non solam justitiam particularem  
respicit Jurisprudentia civilis. Certè, leges nostræ non solum jubent;

ut ab offensione aliquum nobis temperemus, ac suum cuique reddamus, sed etiam, ut honeste vivamus §. 3. h. t. l. 10. §. 1. ff. cod. ergo non solum justitiam particularem respicit Disciplina nostra, quia administratione huius solius non concluditur honestas vita.

**A S S E R T I O III.** Finis ultimus Jurisprudentiae civilis non consistit in felicitate & Justitiae internâ hominum. Ita P. Suarez Lib. III. de Leg. cap. 11. n. 6.

**Probatur.** Finis ultimus Jurisprudentiae civilis est idem, qui legum civilium. Sed leges civiles per se non respiciunt felicitatem, & sanctitatem internam hominum, quia felicitas interna hominum per se ordinatur ad sanitatem supernaturalem vitæ æternæ, quem finem respicere non potest potest merè naturalis. **Confirmatur.** Potestas ferendaria legum civilium est merè naturalis, quia posito censu hominum in societatem civilem, resultat in communitate tanquam naturalis eius proprietas, cum absque hac conservari nequeat: ergo non potest per se respicere felicitatem & sanctitatem internam hominum, quia ceteroquin per se respiceret finem supernaturalem, cum sanctitas interna hominum per se ordinetur ad felicitatem supernaturalem.

**A S S E R T I O IV.** Finis ultimus Jurisprudentiae civilis etiam non consistit in felicitate externâ singulorum hominum. Ita P. Suarez. loc. n. 7. & seq.

**Probatur.** Jus civile per se non respicit felicitatem externam singulorum hominum: ergo neque Jurisprudentia. **Arrecedens ostendo.** Potestas ferendaria legum civilium per se non residet penes singulos, sed penes totam communitatem, tanquam omnia necessaria ad conservationem eius: ergo per se non respicit bonum singulorum, sed felicitatem totius communitatis, quia inter principium & finem intercedere debet iusta proportio; adeoque cum memorata potestas per modum proprietatis resultet in totâ communitate, debet quoque bonum respicere totius communitatis.

**A S S E R T I O V.** Finis ultimus Jurisprudentiae civilis stat in pace & felicitate politicâ totius Reipublicæ.

**Probatur.** Finis ultimus Jurisprudentiae civilis neque consistit in felicitate internâ hominum, neque in felicitate externâ singulorum: ergo

in felicitate externâ totius Reipublicæ. *Confirmatur.* Finis ultimus disciplinæ alicuius is censetur, qui finem proximum per se consequitur. Sed justitiam legalem, tanquam finem proximum Jurisprudentiæ civilis, felicitas externâ Reipublicæ per se consequitur, quia si omnes in communitate eonformiter vivant legibus, per se consurgit pax, & felicitas politica Reipublicæ: ergo felicitas externâ totius Reipublicæ est finis ultimus Reipublicæ civilis.

## §. III.

*De Objecto materiali, & formalí Jurisprudentiæ Civilis.*

## SUMMARIA.

- 1. Objectum materiale remotum Jurisprudentiæ civilis sunt res Divinae & humanæ.
- 2. Objectum materiale proximum Jurisprudentiæ civilis sunt actiones hominum.
- 3. Objectum formale Jurisprudentia civilis est justitia, & quidem universalis.
- 4. Objectum adequate & totale Jurisprudentia civilis est actio humana iusta, sive actio humana, conformis legibus.

**A**dstruximus finem Jurisprudentiæ civilis. Facillimâ iam operâ objectum eius, tum materiale, tum formale determinabimus. Sit proinde

**ASSERTIO I.** Objectum materiale remotum Jurisprudentiæ civilis sunt res Divinae & humanæ. Ita *Dn. D. Braun par. 1. Jurisprud. cap. 1. §. 4. n. 4.*

Pobatur ex *I. 10. §. 1. ff. b. t.* ubi definitur Jurisprudentia, quod sit rerum Divinarum, atque humanarum notitia. Deinde, objectum materiale remotum illud dicitur, quod attingitur ab habitu mediante alio. Sed hoc modo attinguntur res Divinae, & humanæ à Jurisprudentiâ civili: proximè enim versatur Ars nostra circa actiones hominum, quæ deinde respiciunt res vel Divinas, vel humanas: ergo &c.

**ASSERTIO II.** Objectum materiale proximum Jurisprudentiæ civilis sunt actiones hominum. Ita *D. Braun ubi supr. n. 5.*

*Probatur.* Objectum materiale proximum illud dicitur, quod per se quidem & proximè, non tamen propter se attingitur ab habitu. Sed hoc modo actiones hominum attingit Jurisprudentia civilis: per se enim versatur circa actiones hominum propter justitiam, quam per regulas suas & præcepta conciliare iisdem uititur: ergo objectum materiale proximum Jurisprudentiæ civilis sunt actiones hominum.

**ASSERTIO III.** Objectum formale Jurisprudentiae civilis est justitia, & quidem universalis.

*Probatur facile.* Justitia universalis est ratio illa; propter quam actiones hominum attinguntur à Jurisprudentiâ civili: ergo sicut naturam objecti formalis. *Confirmatur.* In habitibus practicis finis intrinsecus, & objectum formale coalescunt in eandem essentiam: ergo cum ostensum sit, finem proximum & intrinsecum Jurisprudentiae civilis consistere in justitia legali actionum humanarum, suâ sponte sequitur, justiam hanc esse objectum formale disciplinæ nostræ.

**ASSERTIO IV.** Objectum adæquatum & totale Jurisprudentiae civilis, est actio humana justa, sive, actio humana conformis legibus.

*Probatur.* Objectum totale illud dicitur, quod ex objecto materiali & formalis coalescit. Sed actio humana justa coalescit ex objecto materiali & formalis Jurisprudentiae civilis: ergo est objectum totale, finis intrinsecus, ac opus per se intentum disciplinæ nostræ.

#### §. IV.

*Quonodo differat Jurisprudentia Civilis à disciplinis aliis, affinitate junctis.*

#### S U M M A R I A.

1. *Nulla alia disciplina idem objectum eundem que finem res patit, quem Jurisprudentia civilis.*
2. *Quomodo Jurisprudentia civilis differat à Scientia Canonica.*
3. *Adornantur plures alia differentia inter ipsius et Canonicum.*
4. *Quomodo differat Jurisprudentia civilis à Theologia moralis.*
5. *Quomodo discrepet Theologia moralis à Scientia Canonica.*
6. *Quomodo differat Jurisprudentia civilis à Philosophia moralis.*
7. *Quomodo à Politica.*

**E**X iis, quæ hucusque disputavimus, nullo negotio intelligitur, quis differentiæ parties Jurisprudentiam civilem ab aliis disciplinis, affinitate junctis, separet: omnes enim si perlustres, nulla occurret, quæ idem objectum, eundemque finem recipiat. Lubet indulgere veritati, ac in specie ostendere, quomodo à Scientiâ Canonica, à Theologîâ morali, Ethicâ, à Politica Ars nostra differat.

Cum Scientiâ Canonica in eo convenit Jurisprudentia civilis, quod utraque legibus temperet Rem publicam: differunt tamen, quia Scientia Canonica versatur circa actionem Religiosam, tanquam circa objectum suum adæquatum: Civilis verò circa actionem justam, justiciâ externâ & politiciâ.

Maiori luce differentia hæc intellectum perstringet, si monstravero, quibus intervallis jus Canonicum & Civile disjungantur. Differunt itaque jus Canonicum & Civile I. quia illud fertur à potestate supernaturali: hoc à potestate merè naturali. Nam potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum est absolutè supernaturalis: partim, quia immediate procedit à Deo, tanquam libero collatore: partim, quia non potest humanæ naturæ esse debita, cum per se respiciat finem supernaturalern, nempe, sanctitatem internam animæ, ac per consequens, felicitatem vitæ æternæ; quos inter fines connexio tam arcta intercedit, ut unus ab altero separari nequeat. Contra, potestas ferendarum legum civilium est merè naturalis, quia resultat in communitate tanquam naturalis eius proprietas, eoque nomine procedit à Deo, non tanquam à libero collatore, sed tanquam ab auctiore naturæ. II. Jus Canonicum versatur priuati circa negotia, quæ Religionem promovent, & sanctitatem internam vitæ nostræ; vel, si ad ea discedat, quæ pertinent ad gubernationem externam Reipublicæ Ecclesiasticæ, discedit tamen cum respectu ad cultum Divinum, & sanctitatem internam hominis: Jus Civile vero illa saltem attingit, quæ felicitatem politicam humanæ communitatis promovent. III. Finis proximus, intrinsecus, & adæquatus juris Canonicæ est actio Religiosa: Juris Civilis vero actio justa, justitiâ naturali & externâ. IV. Finis ultimus juris Canonicæ stat in felicitate & sanctitate internâ hominum, atque adeò in felicitate supernaturali communitatis Christianæ: Legum civilium vero in felicitate externâ Reipublicæ politicæ.

Eodem ferè modo differt Jurisprudentia Civilis à Theologia moralis: hæc enim non respicit actiones hominum, in quantum conducunt ad felicitatem naturalem communitatis politicæ; sed, quatenus conferunt ad beatitudinem supernaturalem, quæ consistit in æternâ possessione, ac fruitione Dei.

Illud promptè non dixeris, quæ discriminis intercapedo Theologiam moralē separat à Scientiâ Canonicâ? nam utraque per se versatur circa actionem Religiosam, & sanctitatem internam hominis. Discrepant tamen, quia Theologia moralis attingit actionem Religiosam & sanctitatem internam hominis cum solo respectu ad Deum & beatitu-

dinem aeternam. Scientia Canonica vero respicit infra Ecclesiam, in quantum sapit corpus mysticum, nexus corundem sacramentorum, eiusdemque fidei sub uno capite colligatum, ac per actiones Religiosas cultumque Dei veram felicitatem eidem conciliare nititur.

A Philosophia morali, seu Ethicâ, differt Jurisprudentia Civilis, quia illa considerat actiones hominum praecise ut honestas, sive in quantum conducunt ad obtainendam beatitudinem naturalem & privatam, quae consistit in honestate vita: haec vero considerat actiones hominum et justas, sive in quantum promovent felicitatem politicam Republicæ.

A Politicâ denique differt Jurisprudentia civilis, quia illa considerat Rerpublicam civilem in abstracto, eiusque naturam, affectiones, diversas formas, & species, modos constituendæ, administrandæ, & conservandæ, in genere exponit: Hæc vero digreditur ad specialem Rerpublicam, ac leges aggreditur, pro eadem lata, utque actiones hominum iisdem congruant, toto nisu allaborat.

### CAPUT III.

## *De Proprietatibus Jurisprudentiæ Civilis.*

Nullam reperias veram essentiam, quæ in proprietates suas non diffusat. Expressimus hucusque essentiam Artis nostræ. Ut plenior sit doctrina, in proprietates eius jam inquiremus.

### S. I.

## *Sitne Jurisprudentia practica, an speculativa?*

### S U M M A R I A.

- |  |   |
|--|---|
| 1. Quis habitus dicatur practicus, quis speculatorius, varius Autores. | 4. Demonstratur, Jurisprudentiam civilem esse purè practicam.       |
| 2. Definitio habitus practicus, & habitus spe. culatiorum.             | 5. Non omnis cognitio speculativa evictis partem Scientie practica. |
| 3. Quoniam requiriuntur ad cognitionem practicam.                      |   |

**Q**uis habitus dicatur practicus, quis speculatorius, mirè vacant Autores, quorum pugnæ me immisere, supervacaneum censeo: Vitanus enim morbus hominum, operose nihil agentium. Sunt, qui metuissimas questiones de nomine tam operose pertractent, tanquam aras & focos lis concernat. Docta profectò vanitas, ac putida sedulitas!

**Cur, quæsto! tempus teramus inutilibus, cùm necessariis vix sufficiat?**  
**Ego quæstionem, quam Philosophi cum strepitu, & clamore ventilant,**  
**paucis absolvam.**

Habitus practicus dicitur, qui inclinat ad eliciendas cognitiones practicas. Speculativus, qui inclinat ad cognitiones speculativas. Cognitio practica censetur illa, quæ ex modo intrinseco tendendi, atque adeo vi suâ cognoscentem dirigit ad efficiendum objectum cognitum. Speculativa, quæ per se quiescit in sola notitiâ veritatis; sive, quæ suâ pie naturâ non aliò tendit, quam ut cognoscenti veritatem objecti manifestet.

3 Unde advertis ad cognitionem practicam plura desiderari. I. ut respiciat objectum effectus capax. Hinc cognitio, quâ in contemplandis Divinis perfectionibus defagor, non est practica, quia perfectiones illarum effectus omnia respuunt. II. ut objectum respiciat, quod effici ab ipso cognoscente possit: alioquin quævis cognitio entis creari foret practica, cùm nullum sit, quod produci à Deo nequeat. III. ut per se ordinetur ad efficiendum objectum cognitum; atque adeo, ut non meraria occasione operi qualicunque præbeat, sed, ut via suâ cognoscentem dirigat ad efficiendum illud ipsum objectum, quod representat: sequeretur enim ceteroquin, omnem planè cognitionem potentia intellectivæ esse practicam, cùm nulla sit, quâ non vel ad amorem, vel odium objecti cogniti moveri cognoscens possit. Deinde, quævis contemplatione Dei excitari possumus ad amorem Dei, neque tamen dicere possis, quamvis contemplationem Dei esse practicam, cùm per se, & intrinsecè non ordinetur ad amorem objecti cogniti; ac licet à cognoscente ad finem hunc possit dirigi, per se tamen, ac vi representationis suæ ad eundem non ordinatur.

4 Ostendo jam nullo negotio, Jurisprudentiam civilem pure & simpliciter esse practicam. Illa enim disciplina est pure & simpliciter practica, cuius actus præcipui, & primario intentio sunt practici. Sed actus præcipui Jurisprudentiaz civilis omnes sunt practici, quia universæ cognitiones, ab eadem elicitz, ac per se intentæ, versantur circa actionem justam, atque adeo circa objectum, effectus capax, ac per se aptæ sunt, ut dirigant cognoscentem ad efficiendum objectum cognitum: ergo &c.

**Confirmatur.** Cognitio enuntians, rem alienam, sine iusto titulo detentam, reddendam esse domino, est per se apta, ut dirigat cognoscentem ad posseandum objectum cognitum: ergo plerque cognitiones, quas elicit Jurisprudentia, sunt practicæ, quia similichordâ plerque oberrant. Certè, Jurisprudentia tota quanta desudat in tradendis regulis & præceptis justitiae: ergo tota quanta est practica.

Equidem nolim ire inficias, etiam cognitiones speculativas in Jurisprudentiâ occurtere; præsertim si ad illam doctrinam animum adversas, quâ leges ab iniuitate vindicantur. Meminisse tamen oportet, ad disciplinam practicam sufficere, quod cognitiones, per se, ac primariâ intentâ, sint practicæ. Certè, dum legibus, ab iniuitate vindicandis, Jurisprudentia insudat, non tam agit ex fine proprio, quam deservit Nomotheticæ, seu Prudentiæ Legislatoriz.

## S. II.

## Sitne Jurisprudentia una, integra, &amp; completa Scientia?

## SUMMARIUM.

1. Quis dicatur compleatus habitus scientificus. 2. Jurisprudentia Civilis est una integra, & completa Scientia.

Compleatus & integer habitus scientificus is censetur, qui attingit, & considerat omnes proprietates, ac veritates, quæ de objecto aliquo demonstrari possunt, & quidem sub unâ, eademque ratione formalis. Dicitur completus ideo, quia hoc ipso, quod sub unâ, eademque ratione formalis adæquat totam scibilitatem objecti, omnesque proprietates eius exhaustat, non potest constituere partem alterius scientiæ; adeoque in ratione scientiæ censetur unus, integer, & completus habitus.

Hinc infero, Jurisprudentiam civilem esse unam, integrum, & completam scientiam, quia respicit objectum formale unum, integrum, ac distinctum ab objectis formalibus omnium reliquarum scientiarum: actionem justam videlicet, de quâ sub unâ, eademque ratione formalis, demonstrat omnes veritates, quæ demonstrari de cädem possunt; adeoque adæquat totam scibilitatem actionis justæ, omnesque proprietates eius exhaustit.

## §. III.

*Sitne Jurisprudentia Civilis respectu aliarum scientiarum  
subalterna?*

## S U M M A R I A

i. *Quenam dicitur Scientia subalterna,*

2. *Offenditur, Jurisprudentiam civilem esse scientiam absolutam.*

**S**cientia subalterna censetur illa, quae in ratione scientiarum essentialiter pendet ab aliâ, ita ut non possit ascendere ad dignitatem scientie, nisi evidentiam principiorum sumat à disciplinâ aliâ. Scientia subalterna itaque non est instructa principiis domesticis, ac per se notis, sed meras conclusiones, à scientiâ aliâ demonstratas, assumit, ac principiorum loco adhibet: adeoque, sicut omnis scientia essentialiter pendet ab habitu principiorum; sic quoque Scientia subalterna essentialiter pendet à disciplinâ illâ, à quâ principia sua sumit mutata. Hinc scientia, quae instructa est principiis propriis, & domesticis, talibus videlicet, quae non aliunde pendent, quam ab habitu principiorum, non recte subalterna dicatur, quia per se non pendet à scientiâ aliâ.

2. Sunt, qui negent, Jurisprudentiam civilem esse scientiam absolutam. Sed contrarium ex eo perspectivè monstratur, quia Ars nostra copioso principiorum domesticorum apparatu instructa est, ac plures conclusiones suas ex primis principiis proximè deducit, ut supra evicimus: ergo non satis scientiam subalternam; hanc enim caret principiis propriis & domesticis. Deinde, Jurisprudentia Civilis multis circumfluit principiis, quae neque sumit à Philosophiâ morali, neque à Politicâ, neque à Prudentia Legislatoria. A Philosophiâ morali & Politicâ non accipit illa principia, quae proximè pendent ex legibus positivis: has enim neque Philosophia moralis, neque Politica per se attingunt. A Prudentia Legislativa non sumit illa principia, quae proximè fluunt ex jure naturæ, aut habitu principiorum: ergo &c.

## §. IV.

*De necessitate, utilitate, ac dignitate Jurisprudentiae Civilis.*

## S U M M A R I A

2. *Adstruitur necessitas: Jurisprudentia Civilis.* 3. *Delikatior quoque dignitas.*

2. *Adornatur ciuitatem utilitas.*

2. *Jurisprudentiam civilem Reipublicæ summè esse necessariam, vel inde*

de colligas, quod leges Reipublicæ sint necessariae: partim, quia ad con-  
gruam & convenientem gubernationem communitatis politicæ multa  
sunt necessaria, quæ determinationem suam ex jure naturæ non recipi-  
unt: partim, quia sola ratio naturalis non sufficit ad discernenda ea,  
quæ justitiae congruunt, cum privata crisis affectionibus & passionibus sit  
obnoxia: partim, quia singuli homines difficulter intelligunt, quæ ad  
bonum commune pertinent; adeoque legibus indigent, quibus ad pa-  
randam felicitatem publicam inflectantur: partim denique, quia homo,  
societate civili circumscriptus, non sibi tantum, sed aliis quoque pro-  
desse debet; quo officio pauci fungerentur, nisi legum vinculis constrin-  
gerentur. At si leges Reipublicæ sunt necessariae, fatearis, necesse est,  
Jurisprudentiam civilem quoque esse eidem necessariam: tum, quia fa-  
cta hominum in eum numerum excrescunt, ut non possint singula le-  
gibus comprehendendi; adeoque opus est habitu, quo leges, simpliciter la-  
te, ad facta singularia accommodentur: tum, quia verba legum quan-  
doque sunt obscuræ, adeoque explicationem exigunt: tum, quia meritis  
quoque legis & ratio non raro latitat, ut sine arte juris constare nequeat,  
amplis, an strictis terminis sit conclusa: tum denique, quia leges quan-  
doque rigorem nimirum præferunt, adeoque artem æqui & boni desi-  
derant, à quâ temperentur.

De utilitate Jurisprudentiæ Civilis differere si instituam, dies peror-  
ranti non sufficiat. Paucis multa perstrinxero, si dixero, quod sit cu-  
riarum lamen, tribunalium columnæ, fulcrum immotum felicitatis pu-  
blice. Quod sit stimulus virtutum, terror scelerum, repagulum pro-  
tervæ. Quod sit levamen viduati thalami, solamen afflictæ paupertatis,  
turamen ætatis fragilis & inconsultæ. Quod sit asylum contemptæ sim-  
plicitatis, scutum pressæ innocentiae, refugium suspirantis misericordiæ. Quod  
denique sit portus iactæ fluctibus fortunæ, Pharus disjectæ speci, sacra  
anchoræ naufragæ prosperitatis.

Dedignitate quoque Artis nostræ patrici subiecto. Theologizæ,  
nec non Scientiæ Canoniceæ subens cedit Jurisprudentia Civilis, quia si-  
nem tam alium & sublimem non attingit, ut illæ. Assurgit quoque Pru-  
dentie Legislatoriæ, eamque velut Dominam reveretur. Cum Politi-  
câ de loco disputat. Philosophiam moralem, velut inferiorem despe-  
ctat

Etat: maioris enim momenti opus est, conciliare felicitatem publicam toti communitatii, quam promovere bonum privatum singulorum. Medicinam quoque in eodem secū gradum non patitur consistere. Nam sanitati humani corporis praefat justitia humanarum actionum, quæ ex illâ incolumitas privatorum, ex istâ salus consurgit totius Reipublicæ. Confer *Clariss. Dn. D. Braun par. I. Jurisprud. cap. 2. §. 5. n. 3.* ubi celeberrimi cuiusdam medici, in diversum tendentis, sententiam docet proposituit.

## §. V.

*Definitur Jurisprudentia Civilis.*

## S U M M A R I A.

1. Adornatur definitio Jurisprudentia civilis.

2. Adducitur definitio adhuc alia &amp; clarior.

**E**X iis, quæ fuse hucusque disputavimus, facile intelligitur, quomodo definienda sit Ars nostra. Cùm enim dixerimus, esse scientiam practicam, ac respicere actiones hominum, tanquam objectum materiale; justitiam verò, tanquam objectum formale, suâ sponte emergit sequens definitio: *Jurisprudentia civilis est Scientia practica, versans circa actiones hominum, quæ justas.*

2. Fortè adhuc clarior erit definitio, si ita formetur: *Jurisprudentia Civilis est scientia practica, in id intenta, ut legibus civilibus congruant actiones hominum.*

## CAPUT IV.

*De variis divisionibus Jurisprudentiae.*

**C**Um Jurisprudentia, latius accepta, in quantum scilicet in genere significat artem juris, varias species nominis sui ambitu continet, ut lucidius appareat, cui Spartæ exornandæ industria nostra sit destinata, Genealogiam Jurisprudentiaz contexam, ac erectâ, ut sic dicam, consanguinitatis arbore, perspicuè monstrabo, quo cognationis vinculo diversæ Jurisprudentiaz species cohæreant. Respicit nimurum Legumprudentia vel jus naturæ, vel positivum. Illa Naturalis: Hæc positiva nuncupatur. Jus positivum est vel Divinum, vel Humanum. Quæ attinet Jus Divinum, Jurisprudentiaz Divinæ: quæ humanum, Humanæ nomen obtinet. Jurisprudentia Divina excurrit vel ad leges Hebraicas,

vel Evangelicas. Illa Hebraica : hæc Evangelica salutarur. Jurisprudentia humana versatur vel circa leges Ecclesiasticas, vel Politicas. Prior Sacra : posterior Profana appellatur. Jurisprudentia profana exponit, vel leges pluribus gentibus communis, vel huic aut illi Republicæ proprias. Illa Scientia Juris gentium : hæc Jurisprudentia civilis audit, ac tota diversas species complectitur, quotdantur diversa jura civilia. Nostra industria in Jurisprudentiâ Romanâ desudabit, quæ vel privata, vel publica. En! varias Jurisprudentiæ species, perpetuis divisionum vinculis concordi discordiâ colligatas. Has omnes verbulo delibabo, ut numerosâ Scientiarum cognitarum pompâ perstrictus, disciplinam nostram prolixiore affectu discas aut revereri, aut estimare.

## §. I.

## De divisione Jurisprudentia in Naturalem &amp; Positivam.

## SUMMARIA.

- 1. Quoniam dicitur Jurisprudentia naturalis, probabilitate ratione dedicta potest ex iure positivo, recurronsum est ad jus naturæ.
- 2. Quando lis inter eos versatur, quorum vel uterque, vel unus sicut superiorem inter terris non agnoscit, deficiente iure Gentium, decidenda est ex legibus naturæ.
- 3. Quando casus emergit, cuius resolutio nullæ 4. Quando iure naturæ aliquid certum est, iure positivo vero dubium, standum est iuri naturæ certo.
- 5. Offendetur regula huius utilitas.
- 6. Monstratur amplius usus huius regulae.

Primo itaque dividitur Jurisprudentia in Naturalem & Positivam. Naturalis dicitur, quâ ea cognoscimus, quæ jure naturæ sunt vel permitta, vel præcepta, aut prohibita. Positiva, quâ ea intelligimus, quæ cauta sunt iure arbitrario. Divisio hæc utissimas notitias secundo partu generat, quas hisce regulis concludo.

## REGULA. I.

Quando lis inter eos versatur, quorum vel uterque, vel unus sicut superiorem inter terris non agnoscit, deficiente iure Gentium, decidenda est ex legibus naturæ. Ita Clariss. Dn. D. Braun par. 2. Jurisprud. exp. un. §. I. n. 7.

*Probatur.* Quando litigantes superiorem inter terris non agnoscent, non potest lis decidi ex iure positivo, quia ius gentium, ut suppono, deficit; leges civiles vero determinatè feruntur pro certâ Republicâ, extra quam vim non obtinent: ergo lis talis ex iure naturæ decidenda; hujus enim maiestati etiâ imperiosa sceptra, ac ex leges coronæ incurvantur.

## REGULA II.

3 **Q**uando casus emergit, cuius resolutio nullâ probabili ratione deduci potest ex jure positivo, recurrendum est ad jus naturæ, ac aequitatem, quam lumen rectæ rationis suggestit. Ita *Dn. D. Braun, cit. loc. n. 8.*

*Probatur.* Debet dari norma & regula, ad quam iustitia humana-  
rum actionum examinetur; alioquin Divina Bonitas non sufficienter  
prospexit humanæ indigentiae: ergo deficiente jure positivo, recurren-  
dum est ad aequitatem naturalem, quia mensura tunc alia non occurrit,  
ad quam iustitia humanæ actionis expendatur.

## REGULA III.

4 **Q**uando jure naturæ aliquid certum est, claram & indubitatum, ju-  
re positivo verò dubium, standum est juri naturæ certo & claro. Ita  
*D. Braun cit. loc. n. 9.*

5 Regula hæc maximam in jure utilitatem habet, ac solidissimis ar-  
gumentis fundamentum substernit. Plurimæ juris questiones occur-  
runt, in quibus duæ plerumque sentenziæ pertinaci odio inter se dissident, ac iis instructæ sunt fundamentis, ut diu ambigas, cui parti adhæ-  
reas. Quod si ad regulam nostram sententias illas examines, protinus  
intelliges, ultra opinio meritorum pondere prævaleat. Procedit modus  
iste arguendi cum summâ efficaciâ, quando actus jure naturæ est per-  
missus, sive non prohibitus, ac questio incidit, sitne etiam permissus  
jure positivo? vel, quando inspeccio jure naturæ actus est validus, ac du-  
biu[m] versatur, sitne quoque validus jure positivo? vel, quando actus jure  
naturæ est obnoxius restitutio[ni], ac ambigitur, sitne etiam obnoxius  
jure positivo? vel, quando spectatâ naturâ, actus est immunis ab one-  
re restitutio[ni], ac deliberatur, sitne quoque immunis jure positivo? ni-  
si enim producatur textus expressus, quo actus interdicatur, vel irritetur,  
aut à restitutio[ni] immunis proclametur, vel restitutio[ni] obnoxius de-  
cernatur, intrepidè asserendum, quod sit licitus, quod validus, quod re-  
scissioni, obnoxius, vel non obnoxius. Sic enim licet arguere. Quan-  
do jure naturæ aliquid certum est, jure positivo verò dubium, assurgen-  
dum est juri naturæ certo, quia ius certum semper prævalet juri dubio.

Sed jure naturæ certum est, quod iste, vel ille actus sit permisus, quod validus, quod restitutioni obnoxius, quod à restitutione liber; iure positivo vero id est dubium, quia textus clarus non occurrit, quo jus positivum à naturali haec tenus recesserit: ergo standum est juri naturæ certo.

Ut regulæ huius usum apertius tibi monstrem, assumo exemplum, quod tyro etiam intelligat, ac ad oculum ostendo, quantâ cum efficaciam argumentari ex eadem licet. In bivio Authores hærent, valeatne donationem omnium bonorum? Jure naturæ certum est, quod valeat, quia plaus ac perfectus dominus potest liberrimè de rebus suis disponere; neque donatio talis per se impingit in gravia incommoda, ut debuerit à naturâ reddi illicita, aut irritari. An vero idem obtineat jure positivo, in ambiguum trahi videoas. A regulâ nostrâ si abstrahas sententia, quæ donationem talem pronuntiat esse invalidam, videtur satis probabilis: partim, quia defenditur ab eximiis Authoribus: partim, quia ius fundamenti nititur, quibus vir prudens moveri possit ad assensum. Ad regulam verò nostram si animum advertas, illam ipsam sententiam, quam suspiciebas prius tanquam probabilem, de gradu probabilitatis suæ dejam cernes. Sic enim apodicticè impugnari potest. Donatio omnium bonorum est evidenter valida jure naturæ, quia jure hoc plenus, ac perfectus dominus potest de rebus suis liberrimè disponere: ergo valet etiam jure positivo, quia textum apertum non reperias, quo jus positivum à jure naturæ hoc in passu recesserit; adeoque subintrat regula, quod jus certum prævaleat juri dubio. Confirmatur. Est sententia certò probabilis, quod donatio omnium bonorum sit omni jure validus: ergo sententia opposita est evidenter dubia, quia implicat, unam partem contradictionis esse probabilem, & alteram esse certam, cum certitudo unius sententiaz non ferat probabilitatem opinionis oppositæ: ergo etiam jus, quo nititur sententia opposita, est dubium, quia repugnat, jus esse certum, ac sententiam, in eodem fundatam, esse dubiam. At, quando duo jura colliduntur, id prævalet, quod est certum, & clarum: ergo in præsenti jus naturæ prævalet, utpote certum, & clarum. Promovetur argumentum. Possessio certa semper prævalet juri dubio. arg. l. 126. §. 2. & l. 128. ff. De R. J. ergo si jus naturæ sit in possessione certâ, ab hac dejici non potest ob authoritatem dubiam legis positivaz. Vel sic.

Quando jure naturæ actus est permissus , is , qui exercere vult actum ; est in possessione certâ libertatis : sive , ut clarius dicam , est in possessione certâ exercendæ actionis , naturâ permisæ : ergo ab hac depelli non potest ob authoritatem dubiam juris positivi ; quia possessio certa semper prævalet juri dubio d. l. 126. §. 2. & l. 128. ff. De R. f. Enī mera argumentorum fulmina ; quibus sententia sustinens , donationem omnium bonorum esse invalidam , ita sternitur , ut intercluso spiritu penitus contabescat . Èadem verò efficacia sæpiissime argumentari potes , quia huius generis controversiæ plures in jure occurruunt , quibus resolventis prælaudata regula cum successu maximo adhibetur .

## T o b. S. II.

## De divisione Jurisprudentiæ in Divinam &amp; Humanam.

## S U M M A R I A.

- a. Quenam dicatur Jurisprudentia Divina , qua 3. Quam utilitatem hodie obtinetur Jurisprudentia humana .
- b. Jurisprudentia Divina est vel Hebraica , vel tia Hebraica . Vbi de legibus Ceremoniis libris & Judicialibus .
- c. Evangelica .

**S**ecundo dividitur Jurisprudentia in Divinam & humanam . Divina est , quæ immoratur legibus Divinis , quas scilicet ipse Deus , tanquam supremus Legislator promulgavit . Humana , quæ occupata est circa Leges humanas , quas videlicet constituerunt homines , iurium feneratorum potestate prædicti .

Leges Divinæ discerpuntur in Hebraicas , & Evangelicas . Hebraicæ dicuntur , quas temperande Hebraeorum Reipublicæ Deus , tanquam Legislator , olim constituit . Evangelicæ , quas Christus , pretioso sanguine suo signatas , pro iustitiae causa , quos redemit . Jurisprudentiam , legibus Hebraicis immersam , nuncupare possis Hebraicam . Intentam legibus Evangelicis voce non incongruâ Evangelicam salutaveris .

Jurisprudentia Hebraica non magnam hodie utilitatem obtinet , postquam sublate sunt leges positivæ , temperande Hebraeorum Reipublicæ olim à Deo constitutæ . Leges illæ duorum erant generum , Ceremoniales , & Judiciales . Ceremoniales dicebantur , quibus determinabatur Religio , ac cultus Dei . Judiciales , quibus concludebatur gubernatio politica Reipublicæ Hebraicæ . Leges prioris generis autoritatem ideo decoixerunt , quia legem novam tanquam mera umbra præsigna-

signabant, cuius luce proinde debebant cedere. Leges posterioris generis ideo, quia constituta erant pro Republicâ Hebræorum, quâ proinde sublatâ, non poterant deinceps consistere. Planè, quamvis leges judiciales vim suam amiserint; novâ tamen lege firmari possunt, & conducere videantur huius, vel illi Rēipubliez. Ceremoniales vero novâ lege stabiliti nequeunt: partim, quia indecens videtur, in meridianâ Evangelii luce evanidas, disjectâsque rituum antiquorum umbras scandari: partim quia ceremoniae, legibus illis definitae, non possunt hodie prudenter adhiberi colendo Numini, ob ingens periculum, ne specie, & figurâ antiquæ pietatis delusi mortales, à fide Christianâ ad Judaismum incaute deflectant. Hodie itaque leges ceremoniales forte non aliam utilitatem afferunt, nisi quod serviant ad intelligendas melius leges Evangelicas, quas tanquam figura præsignabant. Jurisprudentiam Evangelicam exdræ Theologorum, & Sacra pulpita sibi vendicant.

## §. III.

## De divisione Jurisprudentiae in sacram &amp; Profanam.

## SUMMARIA.

1. **Quoniam** dicuntur Jurisprudentia sacra, que profana.
2. **Quando** leges civiles attingunt materiam spirituali-  
tatem, vel disponunt de personis, aut re-  
bus Ecclesiasticis, neglectâ eorum disposi-  
tione, unicò recurendum est ad ius Cano-  
nicum.
3. **Hinc** multæ constitutiones civiles, Cœdici in-  
serit, autoritate sunt vacua.
4. **Quando** leges civiles attingunt materiam spi-  
ritualitem, vel disponunt de personis, aut re-  
bus Ecclesiasticis, autoritate carent, hodie  
respicere videantur favorum Ecclesie.
5. **Quid** si tamen confitatio Civilium morissimum  
concernat favore Ecclesie, videatur subfistro.
6. **Quando** inter ius Canonicum & Civile occurrat  
in differentia, ac leges Civiles occasionem  
peccatis prabent, observandum est solam  
ius Canonicum.
7. **Ecclesia** multæ leges civiles, de iniustitate sua  
spellat, abrogavit.
8. **Quando** inter ius Civile & Canonicum occur-  
rit discordia, ac leges Civiles attingunt ma-  
teriam profanam & politicam, nec pericu-  
lum peccati involvunt, quoddam ius in suo  
foro servandum est.
9. **Quando** materia legis est politica, ac iure Ci-  
vili clarae aliquid decijsum est, iure Canoni-  
co subobscure, standum est iuri civili claro,  
& vice versa.

**T**ertiò dividitur Jurisprudentia in Sacram, & profanam. Sacra, seu Canonica nuncupatur, quæ insudat legibus Ecclesiasticis. Profana, quæ immoratur legibus politicis. Divisio hæc utilissimis notitiis abundat, quas hisce regulis coercet.

## REGULA I.

**Q**uando leges civiles attingunt materiam spirituali-  
tatem, vel disponunt de

de personis, aut rebus Ecclesiasticis, neglectâ carum dispositione, unicè recurrentum est ad jus Canonicum. Ita P. Engel Coll. Jur. Can. in proœm. n. ult. Reg. 4. & seq. Clariss. Dn. Collega P. König. in proœm. jur. Can. n. 8. dedit. 1. & 2.

*Probatur.* Quando Legislator civilis disponit de materia, supremæ potestati suæ non obnoxia, egreditur limites jurisdictionis suæ, eoque nomine statuit invalidè arg. l. ult. ff. De jurisd. Sed, dum legibus suis attingit materiam spiritualem, vel se iminiscet personis, aut rebus Ecclesiasticis, disponit de re, supremæ potestati suæ non obnoxia, quia neque materia spiritualis, neque personæ, aut res Ecclesiasticæ subsunt jurisdictioni sæculari. Non illa: quia potestas mere naturalis non potest attingere finē supernaturalem, atque adeò neque disponere de materia pure spirituali. Non istæ etiam: quia personæ & res Ecclesiasticæ absolute sunt exemptæ à jurisdictione Principum sæcularium, utpote quos manet obsequendi necessitas, non authoritas imperandi cap. 10. De constit. cap. fin. De reb. Eccles. non alien. can. 1. diff. 96. ergo &c.

Unde suà sponte sequitur; plures constitutiones, quæ occurruunt in Codice sub titulis, *De SS. Ecclesiis*; *De Epist. & Cler.* & passim in *Novellis*, in quibus agitur de personis & rebus Ecclesiasticis, esse ipso jure-nullas, ac omni autoritate vacuas, quia Justinianus nullam potestatem habuit in personas & res Ecclesiasticas, de quibus proinde non potuit cum efficaciâ statuere, cum sine jurisdictione in caducum parietem inclinet discernendi authoritas. Quin, licet constitutio aliqua Decreto inveniatur inserta, non tamen ideo robur obtinet, quia, cum per se authoritate sit vacua, eandem recipere non potuit a Gratiano. Quod si ipse SS. Pontifex in Responso Decretali constitutionem talém referat, vel ex usu & praxi Ecclesiæ, aut aliunde constet, ab Ecclesiâ receptam esse, vim juris obtinet, non quod à Justiniano lata sit, sed quia naturam sapit constitutionis Ecclesiasticæ. Layman. ad cap. 10. De Conf. n. 3.

## REGULÄ II.

4 Quando leges civiles attingunt materiam spiritualem, vel disponunt de personis, aut rebus Ecclesiasticis, autoritate carent, licet respicere videantur commodum & favorem Ecclesiæ. Ita P. Layman ad d. c. 10. De conf. n. 1. P. Engel ubi supra reg. 6. Clariss. Dn. P. König cii. loc. dedit. 2. Proba-

*Probatur ex cap. 10. De const.* ubi perspicue dicitur, constitutio-  
nes civiles, de rebus Ecclesiasticis, vel personis latae, auctoritate esse va-  
cuas, licet respiciant favorem Ecclesie. *Confirmatur.* Esto constitutio  
talis concernere videatur favorem Ecclesie, manet tamen, quod termi-  
nos excedat legitimam potestatis: ergo non obstante favore Ecclesie est in-  
valida. *Promovetur argumentum.* Constitutio talis magis noceret,  
quam prodesset Ecclesie; quia Principes saeculares viam haberent exten-  
dendae jurisdictionis suae, ac obtenuit utilitatis, in Ecclesiam redundantis,  
possent de personis & rebus Ecclesiasticis pro arbitrio statuere: ergo  
non expediebat, sine approbatione Ecclesie constitutionem talem esse  
validam.

Plane, si constitutio civilis, de personis Ecclesiasticis, aut rebus  
lata, concernat merissimum favorem Ecclesie, existimem subsistere:  
partim, quia non tam sapere videtur naturam legis, quam privilegii, cu-  
ius auctor nullam sibi jurisdictionem arrogat in privilegarium, cum  
eriam non subdito ac extraneo concedi possit: partim, quia privilegium  
merè favorable vim donationis obtinet, adeoque non tam ex volunta-  
te concedentis, quam acceptatione donatarii robur capit: partim deni-  
que, quia æquitas non patitur, ut, quod in favorem Ecclesie constitutum  
est, convertatur in dispendium *cap. 6. 1. De R. 3. in 6. P. Layman. cit. loc.*

n. 2.

### REGULA III.

Quando inter jus Canonicum, & civile occurrit discordia, ac leges ci-  
viles occasionem peccatis praebent, observandum est solum jus Ca-  
nonicum. Ita *P. Engel ubi supra Reg. 4. & communiter Canoniste.*

*Probatur.* Potestas spiritualis SS. Pontificis extenditur ad omnes  
Principes Christianos, ac quoscunque alios, Ecclesie obnoxios, vi cuius  
Pontifex ea omnia inter fideles potest exsequi, quæ expedire prudenter  
judicaverit ad obtinendam spiritualem salutem animarum: quia omnis  
illa potestas conferri debuit in Pontificem, quæ moraliter erat necessaria  
ad convenientem gubernationem Ecclesie, & spirituale regimen fide-  
lium, cum Deus & natura non deficiant in necessariis: ergo si leges civi-  
les bonis moribus repugnant, aut peccatis ansiam praebant, possunt à  
Pontifice reformati, quia ad munus supremi Pastoris pertinet, impedi-

re peccata, auctoritate publica subnixa, ac occasiones eorum tollere. **Confirmatur.** Ad munus spectat SS. Pontificis, promovere Fidem, Religionem, ac virtutes alias, ad sanctitatem vite, & salutem animarum necessarias, quia Petrus & successores eius acceperunt à Christo potestatem universalem regendi animas: ergo si leges civiles praedictis virtutibus impedimentum afferant, ac in discrimen salutis animas deducant, possunt à S. Pontifice recantari. **Promovetur argumentum.** Non tantum supremi Principes, sed ipsa quoque potestas ferendarum Legum ci-vilium est obnoxia auctorati S. Pontificis, in ordine ad ea omnia, quæ concernunt spirituale regimen animarum: partim, quia vis dirigendi potestatem ferendarum legum civilium videtur omnino necessaria ad spirituale regimen animarum, cum possint Principes seculares abuti auctoritate suâ, ac iniqua decernere, aut peccatis laxare fibulam, cum ingenti dispendio animarum: partim, quia suprema potestas spiritualis, & suprema auctoritas temporalis debebant ita conferri, ne periculo gra-vis damni exponeretur Christiana coiunctio; adeoque necessarium erat, ut inter potestates illas daretur ordo aliquis, quo sine efflorescere non poterat pax & unitas Ecclesie, cum sepe commoda temporalia spiritualibus repugnant: ergo si potestas ferendarum legum civilium exorbitet, ac ea statuat, quæ vergunt in dispendium animarum, debet SS. Pontifex pro plenitudine auctoritatis suæ posse intercedere, ac iniquitatem constitutionum civilium lege contrariâ abstergere: quia ceteroquin non daretur conveniens ordo inter regimen spirituale & politicum, neque Pontifex armatus esset potestate necessariâ ad animas in viam salutis dirigendas.

Videmus sanè, quod de facto Ecclesia auctoritate hac non semel fuit usia, ac plures constitutiones civiles, de iniquitate suspectas, sub censu-ram vocaverit. Jus civile, quo usucapio cum malâ fide approbatur, legibus Canonicis retractari audias *cap. n. s. De prescript.* Constitutionem civiliem, quâ liberis, ex complexu damnato suscepitis, alimenta negantur, jure Pontificio reformari intelligas *cap. 5. De eo, qui dux. in uxor. quam poll. per adult.* Leges civiles alias, de improbitate suspectas, canonibus aliis reprobari videoas. Unde sic arguo. Ecclesia universalis errare non potest in iis, quæ concernunt fidem, & bonos mores: partim, quia re-pugnat,

pugnat, Ecclesiam non esse sanctam, cum in symbolo fidei appellitur sancta: partim, quia sibi, à Christo Ecclesiæ præstitutus, stat in sanctitate internâ hominum; cum quo sine non consistit universale periculum errandi in materiâ fidei, & morum, cum heresi, & improbitate morum impeditur sanctitas interna virtutis. At leges Canonicae, quibus constitutiones civiles damnantur, tanquam iniquæ, ac peccatis obnoxiae, approbantur ab universâ Ecclesiâ tanquam justissimæ: ergo repugnat, non esse justissimas, quia repugnat, ab Ecclesiâ sanctissimâ reprobari aliquid tanquam iniquum, cum quo stat honestas morum, & sanctitas interna virtutis. Utinam sectarii etatis nostræ tandem saperent, ac veritatibus invictissimis subscriberent!

## REGULA IV.

**Q**uando inter jus Civile & Canonicum occurrit discordia, ac leges civiles attingunt in materiam profanam & politicam, neque periculum peccati inveniunt, jus quodlibet in foro suo servandum est. Ita P. Engel d. loc. reg. 3. & Clariss. Dn. Collega P. König ubi supra ded. 3.

**P**robatur. Potestas ferendarum legum civilium in ordine suo est suprema: ergo si statuat in materiâ, sibi obnoxia, nec periculum peccati inveniat, non sub jacet censuræ S. Pontificis. **C**onfirmatur. Pontifex non accepit à Christo potestatem temporalem pro universo orbe Christiano, quia hanc non exigebat spirituale regimenter animarum: ergo si in materiâ, sibi subjectâ, Legislator civilis statuat, non potest authoritas Ecclæstica intercedere; adeoque si diversum Pontifex decernat, jus quodlibet in foro suo servandum est.

## REGULA V.

**Q**uando materia legis est politica, ac jure civili clare aliquid decisum est, jure Canonicico vero subobscurè, standum est iuri civili claro, & vice versa. Ita P. Engel ubi supra reg. 1. & 2. Clariss. Dn. P. König cit. L. n. 4. & Doctores communiter.

**P**robatur. Jus Canonicum non est supercilii tam clari, ut sequi dignetur leges civiles cap. 1. & 2. De nov. oper. nunt. ergo quando jure civili clare aliquid decisum est, jure Canonicico vero subobscurè, standum est iuri civili claro & vice versa: quia semper inter iura, quorum unum ex altero interpretationem recipit, id prævaleret, quod est clarum.

## §. IV.

*De divisione Jurisprudentiae in Scientiam Jurisgentium,  
& Jurisprudentiam civilem.*

S U M M A R I A.

1. *Quoniam dicatur Scientia Jurisgentium, qua  
Jurisprudentia Civilis.*

1. Quartò dividitur Jurisprudentia in Scientiam juris gentium, & Jurisprudentiam civilem. Illa attingit jura, pluribus gentibus communia. Hęc aggreditur leges, huic, vel illi Reipublicę proprias.

2. Jurisprudentia civilis in tot abit diversas species, quot diversa occurunt civilium legum genera, ac Spartanæ, Attica, Romana, aliisque nominibus salutatur. Romana tamen inter omnes, velut inter stellas Luna minores, eminet. Eam enim sapientiam, eam sanctitatem, eam æquitatem, ac utilitatem Romanę leges præferunt, ut non tam monumenta humani ingenii, quam simulacra quædam Divinę mentis credi possint. Solum volumen Digestorum si perlustres, quot leges, tot ferè oracula invenies. Pleraque responsa, in opus illud relata, acri, magnoque judicio ex principiis naturae tam solidè collecta, deductaque advertas, ut non erraveris, si legum naturalium sacrarium Digesta nunquam paveris. Hinc non mirum, in omnibus propemodum Europę Athenæis leges Romanas publicè doceri, ac ab omni ferè orbe Christiano, velut jus quoddam gentium, colique etimarique: experientia enim, inventato usu firmata, docuit, quod evidentissimā æquitate plenae, ac utilitatis, justitiaeque summā laude conspicuæ, in decidendis difficillimis controversiis momenti plurimum obtineant. Confer clariss. Dn. D. Braun par. 2. *Jurisprud. cap. un. n. 14.*

## §. V.

*De divisione Jurisprudentiae in privatam & publicam.*

S U M M A R I A.

1. *Quoniam dicitur Jurisprudentia privata, qua  
publica.*
2. *Adstruitur differentia inter jus privatum &  
publicum.*
3. *Expliçatur definitio juris publici, qua tradit  
ur in §. 4. h. t.*
4. *Aliquando appellatione juris publici designa  
tur, non illud, quod in bonum publicum pro  
tinet, sed quod in bonum privatum pro  
tinet.*
5. *Quandoque jus publicum opponitur, non jus  
privato, sed privilegio.*
6. *Sicne jus publicum collectum ex principiis na  
tura, gentium, & civib; quomadmo  
dum jus privatum.*
7. *Adducuntur argumenta pro sententiā nega  
tiva.*

2. Solvitur argumentum primum.  
3. Enervatur argumentum secundum.  
4. Exploditur argumentum tertium.

- II. Defenditur sententia affirmativa, ac demon-  
stratur, etiam ius publicum ex preceptis  
naturae gentium & civilibus collectum esse.

**Q**uintò dividitur Jurisprudentia in privatam & publicam. Illa juri privato: hæc publico immoratur.

Differunt jus privatum & publicum, quia objectum proximum illius constituant actiones, ex quibus utilitas immediate redundat in privatos: huius verò actiones, ex quibus utilitas immediate redundat in totam Rempublicam. Sic v. g. jus, quo agitur de servitute, de potestate patriâ, de tutelâ, de usucapione, de testamento, de emptione venditione, ac negotiis id genus aliis, dicitur privatum, quia ex causis hisce utilitas proximè redundat in privatos. Contra, jus, quo agitur de potestate magistratum, de bello & pace, de foederibus, de vestigialibus, ac causis id genus aliis, nuncipatur publicum, quia negotia, recens memorata, proximè concernunt utilitatem publicam. Evidem fateor, non minus juris privati, quam publici finem ultimum consistere in felicitate totius Reipublicæ: differentia tamen stat in eo, quia actiones, quas respicit jus privatum, remotè tantum; illæ verò, quas respicit jus publicum, proximè concernunt, ac promovent utilitatem totius Reipublicæ.

A definitionibus adductis non multum ab ludunt illæ, quas tradit Imperator in §. 4. b. 1. ubi jus publicum describit esse illud, *quod ad statum rei Romana spicit*: privatum verò, *quod ad singulorum utilitatem pertinet*. Certè, si unicam particulam utrique definitioni assuas, ac jus publicum describas esse illud, quod proximè ad statum rei Romanæ spectat: privatum verò, quod proximè pertinet ad utilitatem singulorum, verborum externâ specie memoratæ definitiones different; interno spiritu non different.

Ceterum, meminisse oportet, vocabulum juris publici esse ambiguum, ac non in eâdem significatione semper accipi. Aliquando appellatione juri publici non illud designatur, quod felicitatem publicam primariò concernit, sed quod auctoritate publicâ constitutum est. Hoc sensu tutela, detraetio Falcidiæ, Usucapio, testamenti factio, ac negotia id genus alia, accensentur juri publico, quia licet ad statum Rei Romanæ non spectent; nituntur tamen auctoritate publicâ, cōque respe-

*& tu revocantur ad jus publicum l. 29. ff. De testam. tut. l. 15. §. 1. ff. Ad Leg. Falcid. l. 18. §. 1. ff. De damn. inf. l. 3. print. ff. Qui testam. fac. poss. Confertur itaque jus publicum, prædicto modo acceptum, non cum illo, quod privatam utilitatem respicit, sed quod ex conventione natum est, ac id exprimitur, majori autoritate circumseptum esse jus, lege publicâ delatum, quam ortum ex conventionis privatæ placito. Hinc nata apud nos tres paroemias, quæ juris sunt publici, conventione privatorum mutari non posse. l. 38. ff. De pact. l. 20. ff. De relig. & sumpt. fun. l. 15. §. 1. ff. Ad Leg. Falcid. l. 27 §. 1. ff. De R. I. Quo axiome id significatur, jus, ex conventione ortum, posse infringi voluntate contraria: jus, lege publicâ delatum, non posse, quoniam juris ratio non fecrat, autoritatem legum subesse privatorum arbitrio dd. II.*

Occurrit acceptio adhuc alia juris publici: aliquando enim vocabulo hoc designatur jus, non illud, quod ad statum rei Romanæ spectat, sed quod omnibus commune est, ac universos tangit; adeoque opponitur, non juri privato, sed privilegio. Hoc sensu, leges, SCta, constitutiones Principis, mores, censentur portio juris publici, quia non privatos respiciunt, sed universos l. 116. §. 1. ff. De R. f. l. 2. C. *Ne uxor proximæ.* In significatione tamen primariâ vocabulo juris publici designatur illud, quod concernit statum rei Romanæ, sive, quod proximè respicit felicitatem publicam d. §. 4. b. t.

Controversia superest, cathedraliis trita pulpitis, an. sicut jus privatum collectum est ex principiis naturæ, gentium, & civilibus, sic etiam jus publicum?

Sunt, qui negent, jus publicum ex præceptis naturæ & gentium collectum esse: cuius sententiaz aciem instruunt *Wesemb. ff. b. t. n. 14. Ungepaup Exerc. 1. quest. 14. Frantz. ad §. ult. b. t. n. 24. & alii, ab his rebati.* Nititur prædicta opinio sequentibus argumentis. Primum in eo ponitur, quod non æquitas naturalis, sed ratio statûs in jure publico prævaleat. Secundum desumitur ex §. ult. b. t. & l. 1. §. 2. in fin. ff. cod. in quibus locis nominatim asseritur de jure privato, quod ex præceptis naturæ, gentium, & civilibus sit desumptum: ergo dispar videtur ratio juris publici. Tertium inde trahitur, quod jus publicum respiciat Rem publicam, in quantum dicit personam fictam, & imaginariam, etiaproinde non possit innata esse naturalis qualitas. Sed

Sed arundinem pro fetro stringunt, qui ita arguunt. Argumentum primum confundit falsam rationem statū cum verā. Falsam describit nonne nō, quod sit *jus quoddam*, *Principum utilitati deserviens, Divinis humanisque legibus contrarium*. Atque hæc ratio statū sine dubio ex præceptis naturæ non est collecta, cum sit improba, rectæ rationi directè contraria, & quā utuntur ii tantum, qui libidine dominandi in transversum acti, honestatem omnem decoixerunt. Vera ratio statū deficiat, quod sit *norma politica, ad quam omnia consilia, omnesque actiones in Republica dirigenda, ut salus & incrementum communis procurretur*. Hæc norma & regula, si sincera sit, ut esse debet, ne latum quidem unguem deflectit ab æquitate naturali, sed in id potius directa est, ut pacem & prosperitatem, nomine Christiano non indignam, Republicæ conciliet.

Faciliori lūffragio autoritatem argumento secundo abrogavero. Nam in §. ult. b. i. ideo de solo jure privato dicitur, quod ex præceptis naturæ, gentium & civilibus sit collectum, quia de hoc solo agere Principi nostro constitutum erat.

Argumentum tertium hastâ penitus obtusâ nititur. Falleris enim, si Rempublicam pro ente rationis, ac mero humanæ mentis figmento habeas. In societatem civilem si homines consentiant, cōque nomine congregentur, seclusâ omni fictione, cōsurgit verum corpus politicum: quemadmodum positâ unione inter materiam & formâ, cōsurgit verum corpus physicum. Utī verò corpus physicum naturaliter exigit certas proprietates, sine quibus conservari non potest: sic etiam corpus politicum naturaliter exigit certas proprietates, sine quibus conservari non potest: adeoque, posito consensu hominum in societatem civilem, in communitate continuò resultat suprema potestas, tanquam omnino necessaria ad conservationem eius; atque adeò cōsurgit moralis necessitas constituentium magistratum, ac explendorum eorum orationis, ad quæ potestas illa à naturâ ordinata est. Hinc vides, Rempublicam, quatenus dicit corpus politicum, non minùs à jure naturæ dirigī, quam dirigantur homines privati.

Verior proinde sententia sustinet, non minùs jus publicum, quam privatum constare præceptis naturæ, gentium & civilibus. Ex placi-

tis gentium desumptum esse jus publicum, ostenditur ex eo, quia negotium belli pertinet ad jus publicum: tum per textum in l. 24 ff. *De capt. & postlim. revers.*: tum quia proximè concernit felicitatem publicam. Sed jure gentium bella introducta sunt l. 5 ff. b. t. ergo etiam præceptis gentium constat jus publicum. Deinde, immunitas legatorum redditur ad jus publicum, quia proximè respicit bonum publicum. Sed immunitatem hanc firmat jus gentium l. ult. ff. *De legationi*: ergo etiam ex placitis gentium collectum est jus publicum. Evinco eodem spiritu, etiam præceptis naturæ constare jus publicum. Nam foedera, conventiones pacis, aliisque pacta publica pertinent ad jus publicum. Sed observantiam pactorum imperat jus naturæ: ergo etiam præceptis naturæ constat jus publicum. Deinde, suprema potestas, ac jura eius, utramque ferè implant paginam in jure publico. Sed pleraque jura maiestatis fundamentum suum habent in jure naturæ, tanquam omnino necessaria ad congruam, & convenientem gubernationem communis politicae: ergo magna portio juris publici fundatur in principiis naturæ.

## S. VI.

## De divisione Jurisprudentiae in theoricam &amp; practicam.

## S U M M A R I A.

1. Quenam dicatur Jurisprudentia theoretica, & quæ practica.
2. Inter theoriam juris, & praxin foedus tam ar. Alium intercedit, ut separari nequeant.
3. Ostenditur, paucos dari bonos praticos.
4. Praxis spuria sequentes occurunt species, præcis Exlex, Empirica, Formularia, & Rabularia:
5. Quenam dicatur praxis Exlex.
6. Notatur hac praxis, ac iij castigantur, qui contemptè legum autoritate, cerebrinam aquitatem in forum & tribunalia invehe-
7. Quenam sit praxis empirica.
8. Notantur ij, qui stylum Curie & autoritatem rerum judicatarum legibus preferunt.
9. Ostenditur, periculosem esse, rebus judicatiuum deferre.
10. Quæ dicatur praxis formularia.
11. Explauduntur ij, qui à procuratoribus, attorney, ac id genus hominibus praxis contetur addiscere.
12. Quenam dicatur praxis rabularia.

**R**Etulimus potissimas divisiones Jurisprudentiae. Unica superest, disquisitione digna, quæ discerpitur Jurisprudentia in Theoricam, & Practicam. Theorica dicitur, quæ leges, juxta regulas Artis, interpretatur, ac conclusiones varias scientificæ ex iisdem colligit, absque hoc tamen, quod descendat ad facta singularia. Practica, quæ leges cognitas

gnitas, iuxta regulas artis, applicat ad singularia facta hominum. Unde advertis, quæ inter Theoriam juris, & praxin differentia intercedat. Illa ad facta singularia non digreditur, sed elucidandis & firmandis legibus tota quanta insudat; ac licet conclusiones particulares scientifice ex iisdem colligat, ab omni tamen materiâ singulari abstrahit. Hæc verò constanti motu dilabitur ad facta singularia, ac de hoc, vel illo particulari negotio enuntiat, quod legibus congruat, vel non congruat.

Ex definitionibus allatis suâ sponte sequitur, inter Theoriam juris, & Praxin fœdus tam arctum intercedere, ut separari nequeant. Qui enim leges ignorat, non potest scientifice easdem applicare ad particularia facta hominum: ergo praxis consistere non potest sine Theoriâ. Contra, qui scit in genere, quæ solennitatum pompa requiratur ad testamentum, scit quoque in specie, quis solennitatum apparatus desideretur ad hoc, vel illud testamentum, atque adeò scit etiam, an hoc vel illud testamentum definitis solennitatibus fit instructum: quia in omni habitu scientifico propositio particularis necessitate inevitabiliter concluditur in universalis: ergo qui Theoriâ juris est instrutus, calleth hoc ipso etiam Praxin, quia ex cœris legum principiis de quavis particulari actione scit ostendere, an juri congruat.

Hinc infero, paucos dari bonos praticos, quia rari occurunt, qui Theoriain juris ex fundamento intelligent: ad hanc enim multa requiruntur, nempe ut intimum legum sensum calles: ut rationes, quibus nituntur, perspectas habeas: ut principia, ex quibus pendent, intelligas: ut conclusiones, quas virtute continent, scientificè possis ex iis deducere. Hac verò scientiâ quam pauci sunt instructi! Multos rei difficultas terret, ac ita conturbat, ut ad notitiae tantæ gloriam ne aspirare quidem audeant. Aliis parçæ ingenij dotes tantam felicitatem invident. Plerisque fatalis quedam socordia ad perfectam legum notitiam iter præcludit: malunt enim in otiosæ tranquillitatis umbraculis consenescere, quam glorioſo labore nomen transcribere immortalitati. Hinc nihil non temant, ut faciliore viâ ad jurium notitiam perveniant, ac ad famam grassentur boni practici. Sunt, qui omnia juris volumina, in quibus, Consilia, Decisiones, Observationes practicæ, Quæstiones forenses, ac, nescio, quæ alia dispersorum, & dissolutorum jurium

minutiæ venduntur, magno pretio comparent. Libros hósce, tanquam penates domesticos, reverentur, ac intimam suam in iis ponunt fiduciā, integrā acturi legalem animam, ac universām jurium notitiam uno spiritu effusuri, si ex memoratis libris vel soli indices tollantur. Sed aquam cribro haurire satagunt, qui ex libris talibus fundamenta juris conantur addiscere. Ipsis legibus, & commentariis, quibus illustrantur, impallescas, necesse est, si pertingere velis ad solidam legum notitiam. Nisi volumina Romani juris pertinaci labore teras: nisi legibus intelligendis indefessā industria insistas: nisi quotidie legali sudore mādeas, Theoriam juris nunquam addisces, atque adeo, neque nomen & encomium feres boni practici, indignus proinde, qui vel in foro causas ores, vel in dicasteriis splendidum assessoris munus obeas, vel denique ad gubernacula justitiæ tanquam Prætor sedeas.

4 Praxi legitimæ, de quâ haec tenus, opponitur spuria, numerosâ prole infamis. In turbâ ingloriâ sequentes species celebrantur: *Praxis Ex-lex: Empirica: Formularia: & Rabularia.*

5 Praxin Exlegein voco, quæ, spretâ legum Romanarum authoritate, toto nisu in id intenta est, ut ex æquitate potius, quam civilium legum placitis, causæ forenses decendantur.

6 Eâ nimirum tempestate vivimus, quâ juris Romani authoritas in multorum animis penitus eviliuit. Leges saluberrimas, ac non minùs rationum pondere, quam sententiarum mole gravissimas, velut leves, ac fructu inanes paleas, contemni audias: cetebrinam æquitatem in forum & tribunalia invehi intelligas. Ipsa Romana Legislatio, magistra illa morum civilium, fundatrix justitiæ, conservatrix felicitatis publicæ, incorrupta æqui, bonique arbitra, innumeris criminationibus læditur, ac velut spinis horrida, omnique utilitate vacua, iniquissimè traducitur. Latialem Themidem meris subtilitatibus, ætati nostræ non consonis, abundare, & in toto Digestorum opere non nisi aniles decrepitæ antiquitatis fabulas, ac obsoletas, detritisque merces vendi, Lectorique obtrudi, impudenti ore clamitant. In toto Latio pauca leges occurtere ingeminant, in quibus sacram anchoram figere iis liceat, qui inter quotidiana fori discrimina versantur. Sed quis, amabo! cæcum non rideat, si de coloribus ferre judicium præsumat? Hos

consores quoque quis non explodat, si leges, quas non intelligunt, cœlumniis proscindere, ac Theoninō dente arrodere sustineant? Ita est, ô Mome, subtile sunt Romanæ leges; sed ad obtusum ingenium tuum si conferantur. Non conveniunt ætati nostræ; si crassa ignorantia spectetur, quâ tu, ac innumeri alii, tibi similes, laborant. Fructu sunt vacuae; si à vacuo attingantur capite. Sed ignaviam exue, si vir es: contra socordiam ære triplici pectus obfirma: ad vigilem lucernam leges Romanas examina; ac ubi difficultates, in quas impinges, indefessâ industriâ superaveris, aliud longè judicium, scio, de latiâ Legislatione feres. Dolendum interim, ab iis, quorum industriâ conservari deberet legum authoritas, ac inconcessa transmitti ad posteros, id agi, ut convellatur. Interest sanè Reipublicæ, actiones hominum stabili legum vinculo constringi. Interest, salvam & intactam persistere legum maiestatem, ac jus certum & stabile suppeterem, ad cuius præscriptum, tum publicè universi, tum privati singuli se conforment. Jure enim arbitrario si regatur communitas, materia præbetur litibus & contentionibus, tribunalium evertitur authoritas, justitia obtentu æquitatis supprimitur, fraudibus & fallaciis laxatur fibula, janua ditionibus recluditur, mole nummatæ potentiaz opprimendi inopes adversarios, ac facerimia justitiae delubra in speluncas transformantur iniquitatis. Certè, qui satius existimant, in perpetuo dubii, obscurique juris oceano fluctuare Rem publicam, quam oracula justitiae ē Themide Romanæ peti: qui votis omnibus exoptant, ut inter tincas Romanæ Legislatiæ gloria consenescat: qui denique decideræ dis controversiis forensibus jus arbitriarium obtendunt, ac æquitatem plenis buccis crepant, non aliud agunt, quam ut vincula quietis publicæ convellant: ut irreparabile damnum humanæ felicitati invehant: denique ut turpem ignorantiæ suam specioso velo inumbrent, ac sordidam ignaviam tectorio incrurent, dignissimi profecto, qui ē toto Jurisprudentiæ Romanæ territorio proscripti, in Arcadicis, Bœoticasque terras relegentur.

Praxis empirica est, quæ destitura juris arte, solo mis̄ & experientiâ rerum judicatarum nititur. Praxis hæc de legibus non laborat, sed stylum Curiæ pleno ore ingeminat, neque attendit, cum jure Romano pugnet, an convenientat. Evidem factor, rebus judicatis robur non modicum

dicum constare: nam si jura sint ambigua, rerum similiter judicatarum authoritas vim legis obtinet l. 38. ff. *De LL.* Illud vero, quis aequo animo sustineat, res judicatas promiscue, & fine delectu commendari, ac velut regulas obtrudi, ad quarum normam fata similium causarum componantur? Tunc demum res judicatae authoritatem juris obtinent, ubi leges sunt ambiguæ, aut certè, ubi ex tenore conformium sententiarum constat, jus scriptum consuetudine contrariâ sublatum esse d. l. 38. At, ubi leges sunt perspicuae, neque evidenter constat, consuetudine contrariâ sublatas esse, contemnenda sententiarum antecedentium authoritas, neque attendendum, quid temerè judicatum sit, sed quæ sententia nunc ferenda, ut legibus congruat.

8 Increpandi proinde, ac severâ oratione castigandi, qui ad stylum Curiæ passim provocant, ac, ubi lege aliquâ premuntur, praxi sublatam esse, audacter clamitant. Quid ais, vir bone? legem scriptam praxi subactam esse asseris? At vide, quæso! quâm turpiter tibi ipsi contradicas. Quid enim praxis, nisi applicatio legum ad singularia facta hominum? At, quí fieri potest, ut leges, dum secundum artis regulas accommodantur ad facta hominum, exauctorentur, ac ipsâ observantiâ in desuetudinem fatiscant? Quòd si vocabuli ambiguitate ludas, ac, quæ de praxi asseris, de consuetudine intelligas; adeoque id velis, legem scriptam consuetudine contrariâ sublatam esse, onus tibi imponis, cui sufferendo, dubitem, an imbelles humeri tui sufficient. Nam pro lege scriptâ stat præsumptio, adeoque dum consuetudine contrariâ infraetiam esse asseris, lucidissimè id demonstres, necesse est: obtenu enim consuetudinis incertæ, & dubiæ non potest jus certum & liquidum de gradu & possessione legalis authoritatis suæ dejici. Perpende vero, per Jovem lapidem te obtestor, quoties aqua tibi sit hæsura, si ad jus non scriptum provocanti, onus & necessitas imponatur, ut omnia requisita legitimæ consuetudinis liquidâ probatione adstruas. Cur ergo non assurgis potius authoritati legum, ac ignorantiam juris, cui inumberandæ praxin & stylum curiæ toties obtendis, pertinaci studio emendas, ut dignum tandem te ipsum præstes, qui honorifico subsellio inter Togatos sedcas.

Suminopere itaque allaborandum, ac magno studio in id incumbe-

bendum, ut praxis hæc spuria exauctoretur: tum, quia legum authoritati detrahit: tum, quia manifesto discrimini exponit justitiam. Neque enim timore Numinis tribunalia omnia sunt circumsepta: sordibus quandoque patent, ac studiis partium distinguntur. Rebus iudicatis proinde si tanquam juris regulis deferendum censeas, quid aliud agis, nisi quod sententiis, justitiae larvâ personatis, adstruere authoritatem juris faragas? In Dicasteriis sat multis mos invaluit, ut, antequam feratur sententia, unus ex Consiliariis, vel Assessoribus ad legum trutinam jubeatur expendere causæ merita, ac expensa, discussaque in pleno Senatu orare. Circumstantias litis reliqui, aut ignorant, aut certè confusè tantum, ac perfunctoriè intelligunt; quas proinde ex nudâ relatione coguntur discere. Itur deinde ad suffragia, ac concordibus plerumque calculis approbatur sententia, pro qua Orator steterat. Quod si unus ex Assessoribus in diversum abeat, ac contradicere sustineat, velut morosus Cato, aut insulsus didascalus falsè à reliquis traducitur. His jam sententiis id authoritatis tribuas, ut existimes, ad normam earum fata causarum simillimum componenda esse? Ego verò in omnia alia discedo, ac intrepide pronuntio, summè id periculorum esse. Quid si enim Assessor, ad ponderanda litis momenta constitutus, eâ doctrinâ non fuerit instructus, quam desiderabat causæ intricatae pervicacia? Quid si vincitus, vinctusque socordiâ, aut obrutus negotiorum multitudine, omiserit diligentiam, quam deposcebat controversiæ gravitas? Quid si tædio, fastidiisque modici salarii causa studio perfunctoriè discusserit? Quid si corruptus sordibus, præcipuas litis circumstantias darâ operâ dissimulaverit? Quid si affectibus in transversum adus, jura partium inæquali studio oraverit? In sententiam eius tamen reliqui discedent: nisi enim memoriaz prodigiosæ laude floreant: nisi iudicio quasi Divino polleant: nisi leges omnes devoraverint, vix est, ut torum litis apparatum, omnésque eius circumstantias ex solâ relatione discere, jura juribus conferre, momenta utriusque causæ ad lancem appendere, ac in arenâ velut consilium capere, decerneréque possint, cuius partis merita preponderent. Periculosa itaque, ac in perniciem boni publici directa praxis est, quæ authoritatem rerum iudicatarum legum majestati anteponit.

10. Praxis formularia est, quæ de jure non anxia, solennibus rerum agendarum formulis, ac processuum ceremoniis immoratur. Praxis hæc, tametsi laude suâ sit digna, de verâ tamen, ac in administratio-  
nem justitiæ defixâ praxi non participat, sed velut mera ancilla eidem famulatur.
11. Hinc meritò illos rideas, qui, ut praxin juris addiscant, relicto le-  
gum studio, procuratores, actuarios, scribas, aut, nescio, quos alios,  
supparis farinæ socios, accedunt, ac, ubi multas rerum agendarum for-  
mulas didicerint, in praxi juris splendidissimè se profecisse autumant,  
in nullâ re minus, quam in hac versati, & aptiores, qui ferulam in-  
gloriâ manu regant, ac in formandis characteribus elementariam, ju-  
ventutem imbuant, quamq; causas forenses tractent.
12. Praxis rabularia denique illa dicitur, quæ instructa sufficiente ju-  
rium notitiâ, ex professo legibus abutitur, easque lucri gratia in quam-  
vis partem inflectere conatur. Praxis hæc solum lucrum pro fine ha-  
bet, cuius gratiâ mille calumniis lacerat justitiam: leges lucidissimas fi-  
niestræ interpretationis caligine involvit: causas sordidissimas æquitatis  
foco inaurat, ac ipsum jus armat in tutelam injustitiæ. De praxi hac  
memini, me alibi dixisse, nempe par. 1. quest. scđ. quest. 26.

## CAPUT V. *De Justitiâ, eiusque speciebus.*

**M**Emoravimus suo supra loco objectum formale, ac finem proxí-  
mum & intrinsecum. Jurisprudentiæ civilis consistere in justitiâ hu-  
manarum actionum. Huius genium proinde ut persequamur, justi-  
ordinis præscribit ratio. Quæ materia eò videtur dignior, cui pre-  
fatio, firmatōque pede insistamus, quia nullus ex nostris, quod ego sciam,  
eandem pro merito discussit. Cuius rei summâ admiratione teneor.  
Quæ enim ignavia, illam materiam aut negligi, aut operâ perfuncto-  
riâ tractari, cui universa Legislatio, totaque Jurisprudentia dicata est.  
Fateor sane, subtilem, difficultem, & arduam esse disquisitionem, quæ  
arcana Justitiæ scrutatur. Sed quis militi non succenscat, si declinare  
audiat pericula, quibus solemnii jurejurando se, vitamque suam ob-

frinxit? Sac̄dotibus quoque justitiae quis non æquâ bile succenseat, si difficultates fugiant, ad quas, pertinaci labore frangendas, ære publico sunt conducti?

Sed, quid mirum, ò alma Themis, à tam paucis sincero studio Te coli? Ubique ferè ultimâ hac mundi declinantis fâce derisa, negligâque jaces. Passim Tibi illuditur, ac struuntur insidiae. Repelleris à foro; non curant Te Curiæ: dicam non unam Tibi scribunt Dicasteria: neque se mel tantum solum vertere, terrâsque relinquere, sed frequenti fugâ cælos repeterem compelleris. Principibus ignota es: Magnates Te spemnunt: Sacerdotes Tui, quod indignissimum, pro turpi quæstu Te prostituunt. Imposturæ, fraudes, sordes, injuriæ ubique grassantur, ac, licet formosa frons Tibi appingatur, à tergo tamen mille doli artexuntur. Manifestis calumniis juris color, palliumque obtenditur, ac ipsa legum sanctimonia indigno sacrilegio in excidium Tuum convertitur. Ad despectum Tuum leges antiquantur, negliguntur rescripta, contemnuntur decretæ, exploduntur edicta, ac iura omnia ausu nefario convelluntur. Hinc copiosæ ubique lachrimæ; hinc gemitus, & suspiria contabescens innocentiaz. Acclamat Ministris Tuis pupilli, & viduæ. Sed cassâ voce! surdi enim sunt, quia aures auro obstructas habent. Opem Tuorum implorant inopes, ac ius fibi reddi, ore geinebundo rogitant. Sed vanis precibus! muti enim sunt mystæ Tui, quia vocem argentangina intercepit. Quid prodest, ò Diva, Te cæcam esse, si Sacerdotes Tui videant, & oculos in loculos defixos teneant? Quid juvat, ò Alma, discriminem nullum à Te agnoscî inter superbæ divitum purpuræ, & laceros, detritosque panes inopum, si Antistites Tui agnoscant, ac opem negent inopiaz? Census, dignitas, pretiosæ vestes, cognatus sanguis, splendor natalium attenduntur, non causæ merita. Si pupilli Tuum prensent ostium: si trino pède adrepant claudi: si viduæ accurrant, occluduntur fores, neque obscurâ centones ab iis agnoscuntur, quorum oculos auri fulgor occæcavit. Spernuntur in Curiis, qui curas cum egestate dividunt: numinis instructos tutatur favor judicis, ac prolixius indulget diviti, quam sordenti pallio. Viliores animæ vel omnino non, vel ægræ, & cum fastidio admittuntur ad causam dicendam, non victuri, nisi auro

vincant. Potentiū in Tribunalibus nummi perorant, quām Hortensii, Demostenes, Tullii. Ne ipsa quidem vitia causā cadunt, si patrocinium eorum suscipiant divitiae. Non Te, o Diva, sed idolum proprii commodi adorant Mystæ Tui, ac pro Nunine nummos colunt. Manus ad munus promptas habent, parum anxiæ, tametsi sordes ab argento contrahant. Compendia querunt cum fortunæ alienæ dispensio. Ut annum censum augeant, ac numerosæ posteritat consulant, pro auro leges venales exhibent, ac opulentiam ex sanguine & visceribus parant oppressæ innocentiae. Etiam silentium promercale offerunt, ac, dum loqui deberent, silent, si tunib[us] argenteis lingua eorum constringatur. Qui confixi timore Dei opes, & munera contemnunt, rari occurunt.

Sed audite Reges & Principes, quorum potentiae incurvantur populi, ac iræ, & indignationi terra ipsa velut attremit. Intelligite, acclamat vobis Psaltes Regius, & eruditini, qui judicatis terram: servite Dominum: apprehendite disciplinam, pietatem & justitiam, ne quando sit, qui rapiat, & non sit, qui eripiatur. Auscultate quoque Justitiae Antifitites, ac videte, quid agatis. Non enim hominum exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia canit a facite: non enim est apud Dominum Deum nostrum iniquitas, neque personarum acceptio, neque cupidio numerum.

2. Paralipom. cap. 10. vers. 6. & seq.

### S. I.

## De virtutibus moralibus in genere, ac earum inter se diversitate.

### S U M M A R I A.

1. *Justitia pertinet in censum virtutum moralium.*
2. *Ingen difficultas est, qua differentia inter Justitiam, ac virtutes morales alias intercedat.*
3. *Quadam virtutes per se ordinantur ad alterum, quadam non.*
4. *Virtutes ad alterum directe, respicentes vel*
5. *res alterius, vel non.*
6. *Jus, quod virtus ad alterum directa respicit, pendet quandoque à voluntate obligantis, quandoque non.*
7. *Jus, quod pendet à voluntate obligantis, respetat quandoque commodum eorum, qui obligationem jubeunt, quandoque verò commodum obligantius.*

**Q**UOD Justitia pertineat in censum virtutum moralium, exploratum est. Nam virtus moralis, in genere, illa dicitur, quā voluntas movetur ad operationem sine defectu eliciendam. Hoc modo autem

movetur

movetur voluntas à Justitiâ, quia satisfacere Juri alterius, per se honestati, ac rectæ rationi congruit.

Sed illud valde ambiguum, & obscurum, quis differentiæ paries Justitiam à virtutibus aliis, affinitate junctis, separat? Nostri difficultatem hanc non attingunt. Theologî, tanquam à nostris derelictam, turmatim invadunt, ac, velut dignam perspicacibus ingenii, in omnes partes improbo labore versant. Si dentes tibi in subtilia inventa pruriant, consule Romanæ Theologiæ Triumphiros, *Cardinalem de Lugo*, *Espurzam*, & *Pallavicinum*, ac miraberis, quid non egerint Gigantes illi, ut, subversis antiquæ sapientiæ delubris, novam veritatis aram Themidi statuerent. Ego, quia non prosperitatî famæ, sed legentium utilitati studeo, in id operam, laborémque conseram, ut genium Justitiæ, simplicibus quidem, vivis tamen coloribus adumbrem, ac perspicue ostendam, quâ lineamentorum diversitate à virtutibus aliis distinguatur. Ad calcem verò ut felicioribus auspiciis pertingam, ab ipsis carceribus incipiam, ac de virtutum moralium diversâ indole nonnulla, scitu necessaria, præmittam.

Virtutum moralium duo sunt genera: quædam per se, ac ex fine intrinseco non respiciunt alterum, sed sîstunt in perfectione operantis; quædam verò per se ordinantur ad alterum. In censum priorem pertinent, *Temperantia*, *Fortitudo*, *Patientia*, ac virtutes id genus aliæ, quæ per se, & principaliter non respiciunt alterum, sed passiones temperant, ac ne animus, appetentiæ sensitivæ impulsu in transversum actus, à veræ honestatis tramite abducatur, elaborant. In censum posteriorem pertinent, *Religio*, *Pietas*, *Observantia*, *Justitia*, ac virtutes id genus aliæ, quæ non sîstunt in iudicâ perfectione operantis, sed per se attingunt actiones, ad alterum directas.

Virtutes, ad alterum directæ, in diversas species rursus abeunt. Quædam enim ordinantur ad alterum, absque hoc, quod supponant jus in altero; quædam vero per se respiciunt jus alterius. Sic v. g. Gratitudo per se ordinatur ad alterum, nec tamen supponit jus in altero: non enim ideo beneficio rependo officium, quod benefactor jus contra me habeat, sed quia per se honestum est, & rectæ rationi consentaneum, beneficium grato animo agnoscere: adeoque obligatio; quam pa-

rit Gratitudo, non tam fundatur in jure alterius, quam in honestate & rectitudine intrinsecā virtutis. Contra, Pietas ita ordinatur ad alterum, ut simul supponat jus in altero. Ideo enim filius patri exhibet cultum, & obsequia, quia titulo generatib⁹ pater jus habet ad obsequia : adeoque obligatio, quam gignit pietas, non tam fundatur in honestate, & rectitudine virtutis, quam jure patris.

Jus, quod virtus ad alterum directa respicit, pendet quandōque à voluntate obligantis, ac ita quidem, ut si jure suo cedat, non maneat in debitore obligatio ; quandōque verò planè non pendet à voluntate obligantis. Sic v. g. jus, ex contractu natum, ita pendet à voluntate creditoris, ut, si eodem cedat, debitor liberetur. Contra, jus, quo pater filium obstrictum tenet ad opera Pieratis, non pendet à liberā voluntate patris, quia licet hic jure suo velit cedere, tamen in filio perdurat obligatio Pietatis.

Jus, quod pendet à liberā voluntate obligantis, respicit quandoque bonum, & commodum eorum, qui obligationem subeunt, quandōque verò utilitatem ipsius obligantis. Sic v. g. potestas ferendarum legum per se non respicit utilitatem Principis, sed eorum, pro quibus feruntur leges. Contra, potestas, quā te ex promissione obstrictum teneo ad solvendos mille, principaliter respicit meam utilitatem, quia praeviso omni tuo commodo, ex motivo purissimi mei placiti teneris in hī solvere summam promissam. Atque postrema hæc species juris, usitato hodie vocabulo, jus activum nuncupatur ; cuius naturam accuratus expendisse, operæ fuerit pretium.

## S. II.

### De Jure activo.

#### S U M M A R I A.

1. *Jus activum ratione suum inde habet, quidam in iure natura sit ad agendum efficacem.*
2. *Vocatur nominibus aliis jus proprietatis, iuri riservatum. jus stricte dictum.*
3. *Definitur, quidam sit potestas liberā alios obligandi ad actionem aliquam, vel omissionem actionis, principaliter in nostrum commodum.*
4. *Ad jus activum duo requiruntur I. ut principalius respiciat nostrum commodum. II. ut pendens ex liberā voluntate nostra.*
5. *Non tamen requiritur ad jus activum, ut dimittit de facto possit.*
6. *Quandōque circa idem negotium ius duplex occurrit, quorum unum si non dimittatur negotium laborat in justitia.*
7. *Jus omne, quod sicut in proprietatis nostram est, consenserit activum.*
8. *Ut emergat jus activum, duo requiruntur. I. titulus. II. acceptatio.*
9. *Capaces sunt iuri activi creature rationales,*

- Si de facto usū rationis polleantur, siue non.*
- 10. *Jus actiū remotē excurrat ad res omnes, in quas cada jus vel in re, vel ad rem: prae-  
sumit attingū actionem, vel omissionem &  
statim, ab alio nobis debitam.*
- 11. *Actiones propria non conficiunt obiectum ja-  
ris actiū.*
- 12. *Difert jus actiū à iuriūs aliis, quād alia  
vel non pendeant ex liberā voluntate nostrā,  
vel non recipiant principaliter utilem  
nostrā.*
- 13. *Potestas ferendarum legum non sapit naturam  
juris actiū, conexum tamen habet jus ac-  
tiū.*
- 14. *Ex violatione juris actiū erit obligatio re-  
stituendi.*
- 15. *Jus actiū, stando in lege natura, est effi-  
cax ad agendum.*
- 16. *Jus passiū est actio, vel omissionis actionis, ad  
quām principaliter in commodum propriis  
liberā alterum tenemus obstrictum.*

**J**us actiū appellationem suam inde habet, quod stando in jure na-  
turæ ad agendum sit efficax, ita, ut nisi ulro rem debitam alter pra-  
stet, autoritate publicâ ad id compelli possit.

Vocatur nominibus aliis *Jus proprietatis*, *Jus rigorosum*, *Jus stricte-  
dūtum*: quas inter voces non intercedit differentia alia, quām vocabu-  
lorum.

Definiri potest, quod sit potestas liberè alios obligandi ad actio-  
nem aliquam, vel omissionem actionis, principaliter in nostrum com-  
modum.

Duo itaque requiruntur ad jus actiū. I. ut principaliter respi-  
ciat nostrum commodum. Hinc potestas ferendarum legum non sapit  
naturam juris actiū, quia non Legislatori, sed communitatis utilitatem  
principaliter respicit ac promovet. II. ut pendeat ex liberā voluntate  
nostrā, atque adeo, ut cedi, dimittique à nobis possit. Hinc jus, quo  
pater filium obstrictum tener ad opera Pietatis, non est actiū, quia non  
pendet ex arbitrio, & voluntate patris, cūm efficere pater nequeat, ne ob-  
ligatione Pietatis filius distingatur.

Neque tamen requiritur ad jus actiū, ut diuiniti de facto possit,  
sed sufficit, quod suápte naturā cessionem admittat, licet actu secundo  
obstet impedimentum extrinsecum. Sic, in pupilos, prodigos, ac per-  
sonas id genus alias, cadit veram jus actiū, licet de facto nullo jure  
possint cedere: sufficit enim, quod jura, quæ obtinent, suápte naturā  
cessionem ferant, ac tutore saltem authore cedi possint, in cuius volun-  
tatem, ex ordinatione juris, voluntas memoriarum personarum est  
transfusa.

Quandóque circa idem negotium jus duplex occurrit, quorum si

vel unum persistat, negotium laborat injustitiā. Sic v. g. maritus habet jus ne thorus conjugalis adulterio foedetur. Quòd si consentiat maritus in adulterium, injuriam quidem non patitur; congressus adulterinus tamē manet injustus, quia ex ordinatione Dei ipse status conjugalis personæ fidetæ vices sustinet, ac jus habet, ne adulterio contaminetur; cui proinde statui per adulterium injuria infertur. Sic ego quoque jus habeo, ne in vitā, aut membris lædar; quia licet non sim dominus vitæ & membrorum, sum tamen custos, administrator, & fructuarius, polysūmque iis uti frui ad felicitatem propriam, salvâ tamen substanciali. Quòd si in necem meam, vel mutilationem consentiam, injuriam quidem non patior, homicidium tamen, aut mutilatio manet injusta, quia dominium, quod Deus in vitam & membra nostra obtinet, homicidio, aut mutilatione læditur, respectu cuius proinde actus laborat injustitiā.

7 Jus omne igitur, quod titulo proprietatis nostrum est, nomen activi obtinet, quia nihil magis pendet ex liberâ voluntate nostra, nosstrūmque bonum promovet, quām quod titulo proprietatis nostrum est. Censetur autem titulo proprietatis nostrum esse jus omne, quod vel sapit naturam dominii, vel certè fundatur in titulo dominii; atque adeo jus omne, quod vel reale, vel personale à nostris salutatur. Juris realis quatuor occurunt species, *Dominium*, *Servitus*, *Pignus*, & *Possessio*. Quod dominium titulo proprietatis ad nos pertineat, nemo ambigit: cùm enim sit forma illa, propter quam res ipsa, dominio subjecta, titulo proprietatis nostra dicitur, jus dominii quoque in censum rerum propriarum pertineat, necesse est. Id ipsum verò ostenditur de servitute, pignore & possessione. Nam licet memorata iura non sapiant naturam dominii, fundantur tamen in titulo dominii. Neque enim rerum tantum corporalium, sed incorporalium quoque verum datur dominium arg. l. 3. ff. Si usus. pet. & l. 15. §. 8. ff. Quod vi aut clam. Hinc si in fundo meo consurgat quædam servitus, non fundit tantum, sed constitutæ servitutis quoque verus sum dominus, quia de hac liberè possum disponere quoad omnem effectum, quem natura servitutis patitur. Simili modo discurrendum de jure personali, sive ad rem. Tametsi enim jus v. g. vi cuius ex præcedente pacto aut contractu te obstrictum tenco ad solvendos centum, non sapiat naturam dominii; fundatur

datur tamen in titulo dominii, quia de hoc ipso jure, tanquam dominus, possum liberè disponere. Neque verò dominium hoc consurgit ex eādem causā, ex quā jus reale, vel personale, quod tanquam objectum suum respicit: sed inducto semel jure in re, vel ad rem, resultat in creditore, vel domino, tanquam naturalis quædam proprietas. Cùm enim jus omne, quod in re, vel ad rem dicitur, felicitatem nostram promoveat, non potest non potest in nobis consurgere liberè de jure illo disponendi. Hinc cum grano salis accipienda regula, quam tradit JCtus in l. 20. ff.

*De part.* dum enuntiat, *traditionibus, non nudis partis transferri rerum dominia.* Exaudienda nimirum regula de dominio rerum, extra nos existentium, atque a deo de dominio, ad cuius acquisitionem requiritur titulus, ad conferendum habilis: non verò de dominio, quod, præsupposito jure alio, resultat in creditore, vel domino, tanquam naturalis quædam proprietas.

Ut consurgat jus activum, duo concurrant, necesse est. Primo titulus, seu causa, ad conferendum habilis. Secundo acceptatio. Titulus est vel primævus, vel non primævus. Primævum voco, qui per se non supponit titulum priorem alium. Non primævum, sive secundarium, qui supponit. Inter titulos primævos locum non postremum occupat nativitas, quæ prærogativas insignes nobis confert. Cùm enim potestas vitales, & membra corporis, natura nobis consignaverit, tanquam instrumenta felicitatis nostræ, ac indigentia nostræ sublevandæ gratia diversis capacitatis nos instruxerit; hinc ipso momento generationis consurgunt in nobis jura varia. Sic quisvis homo jus habet, ne in membris lèdatur, ne usu potentiarum vitalium privetur, ne spes alienæ liberalitatis malevolè sibi præcidatur. &c. Tituli non primævi innumeri occurunt: sive enim inter vivos, sive ultimâ voluntate, jus conferre tibi velim, titulus non primævus præcesserit, necesse est, cùm efficaciter nemo dare possit, quod non ex justâ causâ prius acquisivit. Acceptatio ideo requiritur, quia ex nudo titulo consurgere non potest jus compleatum. Jus omne siquidem, quod principaliter utilitatem nostram respicit, pendet ex voluntate nostrâ, tanquam mensurâ suâ, cùm nemo plus juris habeat, quam habere velit: ergo, nisi jus, à naturâ, lege, vel homine oblatum acceptemus, ac velimus esse nostrum, noui intelligi-

tur esse nostrum. Certè, nisi acceptatio interveniat, non est, cur Author naturæ in commodum nostrum gravet alios, ne ab usu iuriis nos impediant, cùm ne ipsi quidem gravare velimus alios.

**Subiectum** juris activi constituunt creaturæ rationales, sive de facto usu rationis polleant, sive non. Tametsi enim infantes & furiosi non possint actu voluntatis propriæ in commodum suum obligare alios: iuriis activi tamen ideo sunt capaces, quia ipsa Res publica in commodum eorum censetur gravare alios. Quod omnino erat necessarium, quia non ferebat justæ gubernationis ratio, tot homines, usu rationis distractos, deprædationi, ac injurijs patere. In ebrios quoque, & somno oppressos jus activum cadit, quia voluntas, quâ ante somnum in commodum proprium alios tenebant obstrictos, in estimatione morali censetur perdire.

**Objectum** juris activi est vel remotum, vel proximum. Remotum constituunt res omnes, in quas cadit jus vel in re, vel ad rem. Locum objecti proximi occupat actio, vel omissionis actionis, ab alio nobis debita. Omnes sane species iuriis activi si perlustres, nullam invenies, quæ non actionem, vel omissionem actionis proximè respiciat. Sic v. g. jus activum, quo te obstrictum teneo ad reddendum equum meum, proximè respicit restitucionem equi. Sic idem jus, quo omnes alios devictos teneo, ne me impediant à persecutione equi mei, proximè respicit omissionem actionis turbativa. Sic quoque jus, quo ex pacto, vel contractu te obstrictum habeo ad solvendos centum, proximè respicit solutionem illorum centum.

**Actiones** propriæ non constituunt objectum iuriis activi: hoc enim per se dicit relationem ad alterum, adeoque non potest sistere in actione propriâ, sed debet attingere actionem alterius. Evidem dominium, in quo sapissime fundatur jus activum, respicit principaliter actionem propriam, quia potestatem tribuit disponendi de re propriâ: jus activum tamen, fundatum in dominio, dispositionem hanc non attingit, quia per se ordinatur ad alterum, adeoque necessariò excurrit ad actionem alterius. Potest videlicet dominium spectari duobus modis, absolute, sive quatenus præcisè potestatem nobis tribuit disponendi de re propriâ, & relate, sive in quantum est jus, vi cuius alios ad certas functiones, &

~~omissiones tenet quis obstrictos.~~ Priore modo spectatum, non jus activum, sed sine addito, dominium ac jus reale salutatur. Posteriorc modo consideratum, assumit nomen aliud, ac jus activum appellatur.

*Forma* juris activi stat in differentiâ specificâ, quâ distinguitur à juri tribus aliis, affinitate junctis: quæ differentia in eo sita, quod jura alia vel non pendeant ex liberâ voluntate nostra, vel non respiciant principaliter utilitatem nostram. Sic Deus titulo infinitæ excellentiæ exigit à nobis honorem & cultum; nec tamen jus hoc Dei appellitare possis activum, quia non pendet à liberâ voluntate Dei. Quam parùm enim Deus ex parte potest infinitam suam excellentiam; tam parùm etiam dimittere, potest jus, in excellentiâ illâ proximè fundatum. Sic quoque pater titulo generationis exigit à nobis obsequia pietatis; nec tamen jus hoc patris vocitare possis activum, quia non pendet à liberâ voluntate patris. *Quia* nadmodum enim titulus generationis ita afficit personam patris, ut separari ab eâdem nequeat; sic quoque jus, in titulo illo proximè fundatum, ita radicatur in personâ patris, ut avelli inde nequeat.

Sed neque potestas gubernandæ Reipublicæ, & ferendarum Legum sapit naturam juris activi, quia per se non respicit utilitatem Principis, sed communitatis. Evidem potestati gubernandæ Reipublicæ assidet jus activum: Princeps enim habet jus ad liberum exercitium supremæ potestatis, atque adeò jus, ne ab exercitio memoratae potestatis impediatur. Cave tamen, jus unum cum altero confundas: differunt enim, quia potestas gubernandæ Reipublicæ per se non respicit utilitatem Principis: jus vero, ne impediatur Princeps ab exercitio supremæ potestatis, respicit utilitatem ipsius Principis. Deinde, ut in Principe potestas consurgat gubernandæ Reipublicæ, requiritur specialis titulus, puta electio, successio, vel occupatio bellica: jus vero, ne impediatur Princeps ab exercitio supremæ potestatis, non desiderat specialem titulum, sed inducet semel supremâ potestate, per se resultat in Principe, quia vana fuit, ac futilis potestas, cuius functiones liberè impediri possent: adeò que posicâ supremâ potestate, Deus, tanquam author naturæ, debet velle, ut consurgat in Principe jus ad liberum exercitium supremæ potestatis, atque adeò debet gravare alios, ne in memorato exercitio Principem impedian.

- 14 Proprietates juris activi plures occurunt, quas inter duas p̄fæcet lunt. Prima est, quod ex violatione eius consurgat obligatio restituendi: quæ obligatio ad felicitatem humanæ societatis omnino erat necessaria. Si enim nudâ pœnitentiâ tolleretur obligatio, ex injustâ læsione orta, innumeris furtis & injuriis recluderetur janua, ac omne humanum commercium dissolveretur. Atque hactenus etiam differt jus actionum à juribus aliis, ex quorum læsione non consurgit obligatio restituendi. Cur tam variè? quia nullum jus aliud fundatur in titulo proprietatis; adeoque, licet omittatur actio, quain respicit, vel ponatur actio contraria, non tamen ideo ministratur aliquid, pertinens ad complementum felicitatis nostræ, sed tota proprietas nostra manet inconclusa, ut proinde radix deficiat, ex quâ efflorescat obligatio restituendi.
- 15 Altera est, quod jure naturæ ad agendum sit efficax. Fundatur enim jus activum in titulo proprietatis, adeoque debebat ad agendum esse efficax: alioquin natura indemnitati nostræ sufficenter non prospexisset. Certè, Justitiam non omnes sponte colunt, sed multi, tædio laborum circumsepti, ac simul cupidine vitez affluentis & prosperæ pellesti, fortunas alienas spe improbabâ invadunt: ergo debebat dari remedium, quo reparatio juris læsi etiam ab invitatis obtineri posset; alioquin natura defecisset in necessariis. Planè, licet jus activum suâpte naturâ ad agendum sit efficax; jure positivo tamen non semper actionem parit, quia lex quandoque intercedit, ac ex justâ causâ actionem intercipit. Sic licet ex nudo pacto nascatur jus activum, ad exigendum per se efficax; lex positiva tamen, litium minuendarum gratiâ, actionem supprimit, ac reparationem juris læsi transcritbit nudæ conscientiæ debitoris.
- 16 Juri activo opponitur passivum: quo vocabulo designatur terminus, quem proximè respicit jus activum. Cùm itaque ostensum sit, terminum & objectum proximum juris activi consistere in actione, vel omissione actionis, ad quam alterum in commodum nostrum liberè tenemus obstrictum, suâ sponte sequitur, actione illâ, vel omissione actionis jus passivum circumscribi. Hinc per se consurgit definitio juris passivi, quam hisce verbis coerceo: *Est actio, vel omissione actionis, ad quam principaliter in commodum proprium liberè alterum tenemus obstrictum.*

## §. III.

## De Justitiâ in genere.

## SUMMARIA.

1. Appellationem Justitiae à Justo ducam esse,  
perhibes receptionis opinio.
2. Sumitur varius modus.
3. Pertinet in censem illorum virtutum, quibus  
actiones externæ, non passiones diriguntur.
4. Ad naturam Justitiae 4. conditiones requi-  
runtur: ut per se ordinetur ad alterum: ut  
respicias jus alterius: ut jus, quod respicis,  
sit proprium alterius: denique ut si rigoroso-  
rum.
5. Vulgo recensentur 4. species Justitiae: Legalis,
- Communis, Distributiva, & Vindicativa.
6. Proponitur difficultas convenientiae predicit  
species univocè in ratione Justitiae?
7. Sunt, qui Justitiam in genere ita definiunt:  
Est virtus ad id ordinata, ut debitum cum  
iure alterius adsequatur.
8. Rejicitur hac definitio, ac impugnat.
9. A 4. speciebus Justitiae non potest abstrahi ra-  
tio generica, in qua singula univocè con-  
veniant.

**H**AECENUS prælusimus Justitiæ, cui exornandæ manum nunc seriam  
admovemus. Ut vero ordinatior sit tractatio, initio Justitiam in  
genere; tum singulas ejus species penicillo perspicuo adumbrabimus.

Justitia, si Alciato credimus, inde dicta est, quod vim sifstat. Si Ho-  
romanno benignas aures deferimys, appellationem inde traxit, quod  
jus cuique sifstat. Receptionis opinio nomen eius à Justo duxum esse per-  
hibet.

Sumitur varie. I. pro omni actu virtutis, quo bene ac honestè vi-  
vimus: quæ acceptio in Sacris paginis, & SS. Patribus frequenter occur-  
rit. II. pro habitu gratiæ, à quo justi denominamur coram Deo. III. pro  
certa specie virtutis, unâ ex 4. Cardinalibus, quâ inclinamur ad jus suum  
cuique tribuendum. Atque hæc postrema acceptio est huius loci, ac  
dilectionis nostræ.

Quod Justitia pertineat in numerum illarum virtutum, quibus a-  
ctiones externæ, non passiones diriguntur, videtur exploratum. Justi-  
tia siquidem per se respicit alterum: ergo attingere debet objectum, quod  
per se ordinatur ad alterum. Evidem solet quandóque ex intemperio  
passionum difficultas oriri circa objectam Justitiæ: hinc tamen non se-  
quitur, passionibus per se immorari Justitiam. Duplex enim occurrit  
virtutis materia, propria & aliena. Propria dicitur, quam virtus per se  
attingit. Alienæ, ad quam virtus excurrit mediante virtute aliâ. Pro-  
pria itaque materia Justitiæ sunt actiones externæ, ad alterum directæ, non  
passiones: in his enim finis intrinsecus Justitiæ non completur. Fæcior  
sanè,

sanè, si affectione immodicâ divitias complectar, facilimè difficultatem emergere circa objectum Justitiæ. At, huic superandæ, non Justitia, sed Temperantia insudat: huius enim officio continetur, compescere ac temperare æstum effusarum cupiditatum. Neque sanè ad quamlibet virtutem pertinet, frangere omnes difficultates, quæ actum proprium circumstant, sed illas tantum, quæ ex objecto proprio per se consurgunt: superandis aliis virtutes aliae vocantur in subsidium. Tameris itaque Justitia passiones certò respectu attingat, quatenus videlicet emititur, ne harum impetu à justo voluntas avocetur: passiones tamen per se non moderatur, sed Spartam hanc virtutibus aliis consignat, quæ proinde ex imperio Justitiæ elaborant, ne vehementiâ passionum voluntas ab æqui, justique tramite abducatur.

Ad naturam Justitiæ variæ conditiones varias requirunt: potiores recenseo. Prima est, ut per se ordinetur ad alterum, atque adeò ut supponat duo subjecta, physicè distincta, quorum unum vices debitoris, alterum creditoris subeat. Secundo, ut obligatio, quam respicit, non fundetur præcisè in honestate virtutis, sed in jure alterius. Ob defectum conditionis huius Gratitudo non imbibit naturam Justitiæ, quia licet per se ordinetur ad alterum; obligatio tamen, quam supponit, non fundatur in jure alterius. Tertiò, ut jus, quod respicit, sit proprium alterius: neinò enim potest debere sibi ipsi, adeoque nisi jus proprium alter habeat, non potest ex virtute Justitiæ in commodum suum alios tenere obstrictos. Ob defectum conditionis huius neque dominus servo, quâ tali, neque pater filio, quoad bona profectitia, obligatur ex Justitiâ. Non dominus servo, quâ tali: hic enim, rerum instat aliatum, continetur in patrimonio domini, eoque respectu, quicquid acquirit, tanquam instrumentum animatum, acquirit domino: ergo quâm parùm obligari possumus: rei propriæ, tam parùm dominus obligari potest servo, quâ tali. Hinc licet inter dominum & servum intercedat distinctio physica; non tamen moralis, quia deficit distinctio jurium. At, neque pater obligari potest filio quoad bona profectitia: hæc enim plenissimè pertinent ad patrem, ita, ut nihil penitus juris filius in iisdem habeat. Ubi verò jus deficit, consurgere non potest debitum Justitiæ, cum inter unum & alterum conexio tam arcta intercedat, ut separari nequeant. Planè si servus confideretur,

deretur, non quā talis, sed quatenus homo, capax est juris activi, eoque respectu potest dominum tenere obstrictum ex Justitiā. Certe, licet servus potestati alienæ subsit, habet tamen verum jus ad suam famam, quam proinde si lacerare dominus sustineat, tenetur ad restitutionem. Similiter, quia filius familias bona quædam pleno jure obtinet, horum respectu tenet patrem obstrictum ex Justitiā: quæ proinde si perdere, ac dissipare pater præsumat, nullum est dubium, quin restitutionis onere distingatur. Quartò denique requiritur, ut respiciat jus rigorosum & strictè dictum, tale videlicet, quod pendet ex liberâ voluntate creditoris, vel domini, ac in commodum eius principaliter redundat. Ob defectum conditionis huius non sapiunt naturam Justitiæ *Religio, Pietas, Obedientia*, ac virtutes id genus aliae, quia non respiciunt jus rigorosum, & strictè dictum: jus enim, quod attingitur à Religione & Pietate, dimiti non potest: jus vero, quod attingitur à virtute Obedientiæ, non redundat in utilitate in obligantis, seu Principis.

Opinio invaluit, tres aut quatuor dari species Justitiæ, *Legalem, Commutativam, Distributivam, & Vindicativam*. Cui divisioni commendandæ obtemperatur sequens discursus. Vel enim consideratur civis cum respectu ad Rempublicam, vel Respublica cum respectu ad civem, vel denique civis cum respectu ad civem. Habitudinem primam observat Justitia Legalis, ope cuius membra communitatis perficiuntur in ordine ad Rempublicam. Habitudo secunda duobus respectibus concluditur. Vel enim Respublica respicit merita civium, vel demerita. Respectum priorem attendit Justitia Distributiva: posteriorem Vindicativa. Habitudinem postremam respicit Justitia Commutativa, adminiculo cuius unus civis perficitur in ordine ad alterum.

Difficultas jam ingens emergit, conveniētne prælaudatæ species univocè in ratione Justitiæ? Sive, quod in idem recidit, possitne à memoratis speciebus Justitiæ abstrahi ratio quædam communis, in quā univocè singulæ convenient?

Sunt, qui rem acu se tetigisse censeant, si Justitiam in genere in hunc modum definiant: *Est virtus, ad id ordinata, ut debitum cum jure alterius adaequetur*. Bonitatem definiitionis ex eo evincere conantur, quod convenient omni & soli definito. Omni quidem, quia si quatuor

species Justitiae pereurras, deprehendes, singulas eniti, ut consurgat æqualitas inter debitum & jus alterius. Justitia Legalis elaborat, ut actiones civium adæquentur cum jure Reipublicæ. Commutativa, ut debitum exæquetur cum jure activo. Distributiva, ut præmium meritis æquâ proportione respondeat. Vindicativa denique, ut poena culpam non superet. Quod verò soli definito prælaudata definitio conveniat, persuadere ex eo fatigunt, quia virtutes reliquæ, aut planè non respiciunt jus alterius, aut certò non elaborant, ut jus illud adæquetur. Sic Deus titulo Divinæ excellentiæ exigit à nobis cultum & obsequia; nec tamen Religio jus illud adæquare nititur, quia ineffabilem dignitatem Dei nullo cultu adæqua veris. Sic quoque pater titulo generationis exigit à nobis obsequia, nec tamen Pietas jus illud patris adæquare properat, quia Diis & Parentibus dignas gratias nemo retulerit. Juxta hos itaque objectum formale Justitiae stat in æqualitate inter præstationem rei debitorum, & jus activum alterius: quem finem ita absunt censent à Justitiâ, ut non possit ab ullâ virtute aliâ attingi.

Sed non uno ex capite displiceret hæc opinio. Nam primò, gratis afferunt Patroni memoratae sententiæ, æqualitatē inter præstationem rei debitorum, & jus activum per se intendi à Justitiâ. Si enim ex mōtivo juris, quod alter habet, ponam actionem debitam, exerceo actum Justitiae, licet ab æqualitate planè abstraham: quia ponere actionem debitam ex motivo juris activi, quod alter habet, per se honestati congruit, quæ honestas debet à virtute aliquâ per se attingi, cum objectum sufficiens virtutis constituat; nec sane occurrit virtus alia, quam Justitia: ergo æqualitas inter ius activum & passivum per se & formaliter non intenditur à Justitiâ. Deinde, si facultates meæ non sufficiant ad expungendum totum debitum, ac ex motivo juris activi, quod alter habet, solvam partem debiti, exerceo verum actum Justitiae, esto non consurgat æqualitas inter ius activum & passivum; quia ex motivo juris alieni solvere partem debiti, cum totum nequeas, per se honestati congruit: ergo æqualitas inter ius activum & passivum per se, & formaliter non intenditur à Justitiâ. Fateor sane, exercitio Justitiae succedere quandóque æqualitatem inter ius activum & passivum: nego tamen, æqualitatem hanc per se, & formaliter intendi à Justitia: non enim ideo exerceo actum Justitiae,

quia adæquo jus alterius; sed quia ex motivo juris, quod alter habet, ponere actionem, quam jus illud respicit: æqualitas vero resultat merè per accidens, ideo videlicet, quia jus activum quandoque ita comparatum est, ut exigat adæquari & absundi.

Sanè, quòd Justitia per se non intendat adæquare jus alterius, manifestissimè ostenditur ex eo, quia frequenter exercetur actus Justitiae, abesse hoc, quòd adæqnetur jus alterius. Sic titulo dominii habeo te obstrictum, ne me impediās ab usū & exercitio dominii; nec tamen jus hoc vel minuitur, vel absunitur, si integro vitæ decursu obligationi tuæ satisfacias. Sic quoque titulo servitutis activæ dominum prædiū servientis habeo obstrictum ad patientiam; nec tamen jus hoc meum infringitur, si vel mille annis ipse, hæredesque eius, mihi ac posteritati meæ patientiam exhibeant: ergo Justitia per se non intendit adæquare jus alterius, quia dantur jura activa, quæ neque per unum actum, nec per plures successivos absuntur. Quòd si existimes, per patientiam illam successivam jus meum adæquari, falleris. Nam licet ex motivo Religionis totâ vitâ meâ cultum & honorem Deo exhibeam, nemo tamen dixerit, successivo illo cultu jus Dei adæquari. Similiter, licet ex motivo Pietatis toto vitæ decursu obsequia patri exhibeam, nemo tamen dixerit, obsequiis illis jus patris adæquari: ergo neque per patientiam successivam jus servitutis activæ adæquatur. Ideo enim per cultum successivum non adæquatur jus Dei, quia titulus Divinæ excellentiæ manet illibatus, neque per cultum nostrum minuitur. Similiter, ideo per successiva opera Pietatis non adæquatur jus patris, quia titulus generationis manet inconcessus, neque per obsequia liberorum minuitur: ergo neque per patientiam successivam adæquatur jus, quod habeo contra dominum prædiū servientis, quia titulus servitutis activæ manet intactus, neque per patientiam absunitur.

Denique, infra ostendam, memoratam definitionem neque convenire Justitiæ Legali, neque Distributivæ, neque Vindicativæ: ergo toto calle exercitat à viâ regiâ boni definitionis: Certe, per functiones Justitiæ Legalis nunquam adæquatur jus Communilitatis: quoscunque enim actus exerceas ex motivo boni communis, manet nexus politicus, quo jungeris cum Republicâ, atque adeò manet fundamentum obligationis.

Si respondeas, jus Communitatis ideo adæquari, quod tantum cives praestent, quantum exigit ratio necessitatis, vel utilitatis publicæ, non satisfacis. Nam licet ex motivo Pietatis tantum præstem patriæ, quantum exigit bonum patriæ, non tamen ideo adæquare censeor jus patriæ; quia manet titulus originis, atque adeò fundamentum obligationis: ergo etiam, licet ex motivo boni communis tantum præstem communitati, quantum exigit ratio necessitatis, vel utilitatis publicæ, non tamen ideo censendus sum adæquare jus communitatis.

**9** Ego, perpensis bene omnibus, censeo, non posse à quatuor speciebus Justitiæ abstrahi rationem communem & genericam, in quâ univocè singulæ convenient; quia toto, ut ajunt, cœlo inter se differunt. Nam Justitia Vindicativa non respicit jus alterius: Legalis & Distributiva, aut non respiciunt jus alterius, aut certè, non jus strictè dictum. Sola Justitia Commutativa supponit obligationem, fundatam in jure alterius, propriè & strictè dicto, adeoque sola imbibit veram naturam Justitiæ: reliquæ vero species ferunt nomen Justitiæ, propter nudam similitudinem & affinitatem, quam habent cum Justitiâ Commutativa; ut ex iis quæ deinceps disputabimus, lucidius constabit.

#### §. IV.

### De Justitiâ Commutativa.

#### S U M M A R I A.

1. Sola Justitia Commutativa sapit genuinam indolem Justitiae.
2. Justitia Commutativa inde dicta est, quod commutations frequenter moderetur.
3. Definitur, quod sit constans & perpetua voluntas, jus suum cunctis tribuendi.
4. Accuratio definiri potest, quod sit virtus ad alterum, quâ inclinatur ad actionem ponendam vel omitendam, ad quam in commodum proprium liberè nos alter obstat.
5. Radix obligationis, quam respicit hac virtus, scilicet in jure alterius.
6. Justitia commutativa resides in voluntate non in potentia intellectiva.
7. Objectum remotum virtutis huius sunt res omnes, in quæ cadit jus vel in re, vel ad rem. Proximum est actio vel omissionis actionis.
8. Exprimitur, quomodo differat Justitia Commutativa à virtutibus aliis.
9. In specie declaratur, quo patitur differas à virtute Obedientia.
10. Explicatur, quo sensu verum sit, quod Justitia Commutativa medium rei specialiter resupponit.

**S**ola itaque Justitia Commutativa sapit genuinam indolem Justitiae, quia sola complectitur conditiones omnes, quæ ad naturam virtutis huius communiter requiruntur. Primo enim per se ordinatur ad alterum, adeoque supponit duo subjecta, perfectè distincta, quia perficit u-

num civem in ordine ad alterum ; quos inter nulla occurrit comparatio partis ad totum , atque adeo nulla moralis identitas . Quod si communitas ciuij debeat , aut communilitati alteri , Justitia exerceat , non tanquam Communitas , sed quatenus personæ privatæ vices obtinet . II. respicit obligationem , non fundatam præcisè in honestate virtutis , sed in jure alterius . III. respicit jus , subnixum titulo proprietatis , atque adeo jus proprium alterius . IV. denique respicit jus rigorosum & strictè dictum , tale videlicet , quod pendet ex liberâ voluntate alterius , ac in commodum eius principaliter redundat .

Justitia Commutativa ab actu suo frequentiore nomen habet , quia videlicet commutations , sive actiones , quibus propter interventum iuris rigorosi , homines inter se communicant , moderatur . Hugo Grotius Lib . 1. De jur . bell . & pac . cap . 1. § . 8. nomen aliud substituit , ac Explorat appellat , eò quod non solas commutations dirigat . nam si rem , malâ fide possessam , restituam suo domino , exerceo actum Justitiae Commutativæ , nec tamen inter me & dominum commutatio intercedit . Sed levissimâ hac ratione moveri non debebat Vir gravis ad reformandum nomen , antiquissimæ usurpationis prærogativâ conspicuum ; cum præsertim idonea ratio nomenclaturæ suffragetur . Quid enim usitatius , quam ab actu frequentiore negotia denominari ? Aut , quid vetat , vocabulum commutationis latius non nihil accipere , ut actus omnis eodem designetur , quo propter jus rigorosum alterius , res vel datur , vel traditur , vel restituitur ?

Definitur Justitia Commutativa in princ . h . t . & l . 10 . princ . ff . cod . 3 quod sit constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi . Vocabulo voluntatis in definitione hac non designatur ipsa potentia volitiva , sed habitus , voluntate subnixus . Hic vero , ut naturam virtutis ambi bat , debet esse firmus & constans ; atque adeo , debet tantâ cum efficacia voluntatem inflectere , ut difficultatibus , redditionem rei debitar circumstantibus , non frangatur . Debet quoque excitare in nobis propofitum perpetuum ac universale , præstandi id omne , ad quod titulo juris alij nos obstrictos tenent : qui enim animo non ita est affectus , ut in quo- cunque eventu , & quâvis circumstantiâ suum aliis velit reddere , nomen justi non meretur . Particulæ ultimæ continent differentiam , quâ Justitia Commutativa à virtutibus aliis specificè distinguitur .

**4** **Enim** verò , licet prælaudata definitio interpretationem commutativam recipiat , vix tamen , ac ne vix quidem venditari potest tanquam accurata , propter labem & maculam obscuritatis , quâ sordet . **Justitia** quidem definitur per ordinem ad jus : ergo ignotum per æquum ignotum , quia tam parùm constat , quid sit , *jus suum cuique tribuere* , quam quid **Justitia** . Claritatis proinde gratiâ lubet adornare definitionem aliam , ac substantiam **Justitiae Commutativæ** hisce verbis circumscribete : *Est virtus ad alterum , quâ inclinamus ad actionem ponendam , vel omittendam , ad quam principaliter in commodum proprium liberè nos alter obstrictos tenet* . In definitione hâc primæ particulæ continent genus proximum **Justitiae Commutativæ** : hæc enim pertinet in censum illarum virtutum , quæ per se ordinantur ad alterum . Oratio reliqua exhibet differentiam specificam , quâ secernitur à virtutibus aliis : universas enim si perlustras , nullam deprehendes , quæ respiciat jus activum alterius ; ac terminandius ponere per se enitatur .

**5** Fundamentum & radix obligationis , quam respicit **Justitia Commutativa** , stat in jure activo alterius . Ideo enim solvò tibi centum , quos accepi à te inutuos , quia ad solutionem hanc , titulo mutui , in **commodum proprium** me liberè obstrictum tenes .

**6** **Subjectum Justitiae Commutativæ** est voluntas : huius enim operationes perficit , non potentia intellectivæ ; cum nemo dicatur justus , quod intelligat , quid **Justitia** congruat ; sed quia vult , & operatur , quod intellectus esse justum . Intellectus itaque , subsidio Prudentiæ , determinat circumstantias actionis justæ , ac voluntati , ute pote cœcæ , exponit , quid **Justitia** congruat . Voluntas deinde , lumine hoc perfusa , **Justitia** impellentis impetu movetur ad ambiendum , & exequendum id , quod intellectus æquum , & justum esse censuit .

**7** **Objectum Justitiae Commutativæ** est vel remotum , vel proximum . Remotum constituunt res omnes , in quas cadit jus vel in re , vel ad rem . Proximum est actio , ad quam ponendam , vel omittendam , in **commodum proprium** liberè nos alter obstrictos tenet . Hinc non exerceo aetū **Justitiae** , si jure dominii de re mea liberè disponam , quia dispositio talis non substat juri activo alterius : non enim ideo de re mea liberè dispono , quod ad dispositionem hanc jus alter habeat ; sed quia titulus do-

minii facultatem hanc mihi tribuit: adeoque potius non committit a.  
Quia iustitiae, quam quod exercetum actum Justitiae.

*Forme Justitiae Commutativa* stat in differentia specifica, quā distinguitur à virtutibus aliis. Differt autem: partim in eo, quod voluntatem perficiat: partim, quod per se ordinetur ad alterum: partim quod respiciat jus alterius: partim denique, quod respiciat jus alterius, propriè & strictè dictum. Vi propositionis primæ differt Justitia Commutativa à virtutibus potentiae intellectivæ, à quibus intellectus, non voluntas perficitur. Vi propositionis secundæ distinguitur à Temperantiâ, Fortitudine, ac virtutibus id genus aliis, quibus homo perficitur in ordine ad se ipsum. Vi propositionis tertiaz secernitur à Justitiâ Vindicativâ, Gratitudine, Charitate erga proximum, ac virtutibus, supparis naturæ aliis, quæ, licet per se ordinentur ad alterum, non tamen respiciunt jus alterius: non enim ideo teneor abstinere à scandalo, quod jus alter ad omissionem hanc habeat; sed quia per se honestum est, & Charitati consueta, abstinentia à scandalo. Vi propositionis quartæ denique differt Justitia Commutativa, ex unâ parte, à Religione, Pierate, & Obedientiâ: ex alterâ verò, à Justitiâ Legali & Distributiva. A Religione & Pietate differt, quia jus, quod virtutes hæsپciunt, non pendet ex liberâ voluntate Dei, aut Parentum, cùm remitti ab his nequeat.

Cum Obedientiâ ingentem affinitatem habet virtus nostra. Nam I. uti obligatio Justitiae Commutativa fundatur in voluntate creditoris, vel domini: sic quoque obligatio Obedientiæ fundatur in voluntate legitimi Superioris. II. quemadmodum creditor, vel dominus potest aut in universum, aut respectu huius, vel illius personæ jure suo cedere: sic quoque superior potest aut preceptum suum omnino tollere, aut obligationem eius huic, vel illi condonare. III. uti actus, volente domino exercitus, non sapit injustitiam: sic quoque actus, volente superiore exercitus, non inhabebit inobedientiam. Differunt tamen, quia jus ferendarum legum non redundat in utilitatem Legislatoris, cùm neque leges redundent: jus verò, quod respicit Justitia Comutativa, principaliter redundat in utilitatem creditoris, vel domini. Quæ differentia Justitiam Commutativam separat à Legali, & Distributiva, dicemus in locis propriis.

Proprietates Justitiae Commutativæ plures se offerunt. Prima est, quod ex violatione eius nascatur obligatio restituendi. Secunda, quod obligationem parat tam efficacem, ut, stando in jure naturæ, ex eâ conveniri alter possit, ac compelli ad solvendum. Sed de his duabus proprietatibus supra iam diximus. Tertia est, quod medium rei speciali modo respiciat, cum virtutes aliæ respiciant medium rationis. Equidem, virtus nulla occurrit, quæ non mediocritatem sectetur, à ratione præscriptam: omnis enim virtus pendet à directione Prudentiæ, cuius solertiæ ac industriæ determinatur medium illud, quod observandum, ne vel per excessum, vel defectum à virtutis via prætoriâ deflectamus. Similiter, virtus nulla occurrit, quæ non medium reale habeat. Quamvis enim punctum medii illius viribus humani ingenii comprehendendi nequeat: Deus tamen evidenter cognoscit, quæ v. g. sit gutta ultima, cuius excessu violetur temperantia; vel, quis numerus ultimus, cuius ergo rogatione contrahatur vitium prodigalitatis. In eo tamen à virtutibus aliis discrepat Justitia, quia medium reale aliarum virtutum non potest ab intellectu humano cognosci, nisi intra certam latitudinem; adeoque ratio subveniat, necesse est, quæ latitudinem illam percurrat, ac secundum regulas Prudentiæ medium virtutis statuat. Contra, medium Justitiae, quia mensuram suam desumit à jure alterius, plerūque cognoscimus; scimus enim communiter, quibus limitibus jus alterius sit circumscriptum, atque adeo, quod quantum teneamus solvere. Hinc medium Justitiae, non tam à ratione determinationem suam accipit, quam ipsa potius ratio determinatur ab objecto: ideo enim intellectus censet, tale & tantum esse præstandum, quia cognoscit, jus actuum alterius ad tale & tantum porrigi. Confer P. Haunold, tom. I. De J. & J. tract. 2. cap. 1. controv. 3. per tot. ubi de proprietate hac Justitiae præ aliis ac curatè disputat.

## §. V.

## De Justitia Legali.

## SUMMARIUM.

- i. Justitia Legalis nomen suum inde habet, quod omnibus legibus actiones civium attemp-tare studet.
- ii. Propter coniunctionem fratrum, etiam quam patris, cum Republica, tangere corporis politico.
- iii. Est virtus, inclinans ad procurandum bonum.
- iv. Deficit ex diversa causa à natura Justitia fratre.

1. *Principio dicitur, quia non supponit duo subjecta perfectè distincta, & quia non recipit ius rigoratum.*
2. *Propositor distinctus, sive Justitia Legalis virtus specialis*
3. *Recessus Authoris, quietement, non distincte & virtutibus aliis.*
4. *Autorius Authoris, qui justinente conservatur.*
5. *Offenditor. Justitiam Legalem essentia distinguere ab omni virtute aliâ.*
6. *Virtutes reliqua non perficiunt hominem formaliter quoad bonum communium.*
7. *Justitia Legalis distinguuntur à Pictate in patrimonio.*
8. *Diversi quoque ab Obedientia*
9. *Radix obligacionis, quae resipicit Justitia Legalis, sicut in iure Communium.*
10. *Jus dominii, quod obtinet Communia in bona quadam publica, non ascendit Justitia Legalis.*
11. *Neque dominium eminens, quod obtinet Communia in personas & bona civium, attingit Justitia Legalis.*
12. *Sed Ius illud observat Justitia Legalis, quod obtinet communias in cives, tanquam membra sua.*
13. *EIAM Principis distinguitur obligacione Justitia Legalis.*
14. *Sed hoc ita, si consideretur formaliter tanquam caput Communium; non verò, si tanquam persona, distincte à Communione reliqua.*
15. *Justitia Legalis, qua dirigit actiones Principis, non est specie diversa ab illa, qua moderantur actiones privatorum.*
16. *Justitia Legalis non habet objectum proprium, sed excentrica ad actus omnium virtutum.*
17. *Nulla alia virtus actiones civium per se dirigunt in bonum Republica.*
18. *Ex violatione Justitiae Legalis per se non consurgit obligatio resistendi.*

**Q**uae sit indoles Justitiae, propriè dicta, satis explicatum arbitror. Sequitur, ut species Justitiae illas persequar, quæ non in hoc ferunt, quia lineamenta quedam Justitiae, propriè dictæ, præferunt. In censum hunc pertinent, *Justitia Legalis*, *Distributiva*, & *Vindicativa*, de quibus ordine.

Justitia Legalis nomen suum inde habet, quia elaborat, ut homo, societate civili circumscriptus, ex motu boni communis legibus omnium virtutum actiones suas attemparet. Vocatur nomine alio *Universalis*, quia excurrit ad actus omnium virtutum, eosque dirigere nititur in bonum Republicæ.

Definitur, quod sit virtus, inclinans ad procurandum bonum commune, propter conjunctionem sui, tanquam partis, cum Republicâ, tanquam corpore politico.

Deficit hæc virtus à naturâ Justitiae, strictè dictæ, potissimum ex duabus causis. Primo, quia Justitia propriè dicta exigit duo subjecta, perfectè distincta, quorum unum vices debitoris, alterum creditoris sustinet. Hæc distinctio verò non occurrit inter partem, quâ talem, & Communitem, quia pars, quâ talis, inadæquate, ac secundum quid est ipsa Communitas. Neque dicere possis, partem obligari Communitatim,

nitati, quatenus hæc personam sustinet, fictione juris à membris suis distinctam. Contra enim sic arguo. Obligatio, quam respicit Justitia Legalis, fundatur in nexu politico, quo civis, tanquam membrum, jungitur cum Republicâ, tanquam corpore politico: ergo civis obligatur Communitati, non quatenus fictione juris ab hac distinguitur, sed quatenus ex ipso, ac membris reliquis confurgit ipsa Communitas. Deinde, jus, quo Respublica cives suos obstrictos tenet ad bonum communem procurandum, non est jus rigorosum: partim, quia non fundatur in titulo proprietatis, neque continetur numero illorum jurium, ex quorum violatione damnum & jacluram patitur Communitas: partim quia non potest remitti à Communitate, cum manente nexu politico inter membra & totum, maneat fundamentum juris & obligationis: ergo quia jus, quod respicit Justitia Legalis, non est rigorosum, & strictè dictum, neque virtus, quæ jus hoc respicit, erit Justitia rigorosa, & strictè dicta: talis enim est Justitia, quale jus, quod per se respicit.

4 Illud infestis animis agitari video, sine Justitia Legalis virtus specialis, distincta ab omni virtute aliâ? An potius mera complexio virtutum aliaruin?

5 Prima sententia contendit, Justitiam Legalem non distingui essentiâ à virtutibus aliis, sed sola ratione; ita ut eadem virtus, in quantum consideratur tanquam perfectio animi, dicatur virtus simpliciter: in quantum vero consideratur cum ordine ad Rempublicam, cuius bonum prouinovet, appellatur Justitia Legalis. In sententia huius acie in arenam se committunt, Buridan. s. Ethic. quest. 4. Frantz ff. h. t. n. 20. & seq. Hahn ad Wes. h. t. n. 3. ad vers. Primò pro Justitiâ universali. Suholt diss. i. aphor. 23. Struv. Exerc. ad ff. 1. th. 17. Eckols ff. h. t. §. 8. Rachel lib. 1. Inst. tit. 5. ab. 1. & plures alij.

6 Secunda sustinet, Justitiam Legalem esse virtutem specialem, distinctam ab omni virtute aliâ. In quam sententiam, Antesignano Doctore Angelico, constitutum Theologorum agmen, quos inter primo velut obtutu, se offereant Less. Lib. 2. De Just. & Jur. cap. 1. dub. 3. n. 11. Tanner tom. 3. diss. 4. quest. 2. dub. 2. n. 18. Palaio. par. 7. oper. mor. tract. 3. 1. diss. un. punib. 3. n. 3. & seq. Layman Lib. 3. Theol. mor. sect. 5. tract. 1. cap. 2. Gibal. Lib. 3. Jur. Can. cap. 1. quest. 3. n. 20. & seqq.

Picet par. 3. Theol. cap. 4. §. 1. n. 518. Clariss. Dn. P. Paulus Mezger, Pro-  
cancelarius Universitatis huic meritissimus, Diss. Theol. De Just. cap. I. §. 5.  
n. 1.

Atque in horum Authorum sententiam ego quoque transco. Virtus specialis siquidem illa dicitur, quae habet motivum & objectum speciale, distinctum à motivis & objectis omnium aliarum virtutum. Tale habet **Justitia Legalis**, quia ex motivo boni communis actus omnium sharum virtutum reflexè dirigit in bonum Reipublicæ; quod non praefat illa virtus alia: ergo est virtus specialis, distincta ab omni virtute alia. **Confirmatur.** Ordinare actiones omnes ad prosperitatem Reipublicæ, propter conjunctionem sui tanquam partis, cum Republica, tanquam corpore politico, per se honestum est; quam honestatem non attingit illa virtus alia: ergo **Justitia Legalis** attingit motivum & objectum, distinctum à motivis & objectis omnium aliarum virtutum. **Provocatur argumentum.** Quotiescunq[ue] occurrit in objecto nova difficultas, cui superandæ non sufficit præcedens habitus, admitti debet novus habitus, per se ordinatus ad difficultatem illam superandam. Sed in objecto **Justitiae Legalis** occurrit nova difficultas, cui superandæ non sufficit illa virtus alia; quia ex motivo felicitatis publicæ ordinare actiones suas ad bonum communitatis, etiam secluso, ac per intellectum abstrato bono proprio, dicit specialem difficultatem, cui superandæ non insuffit illa virtus alia: ergo admittenda est nova virtus, per se ordinata ad difficultatem superandam.

Neque sententia huic periculum imminet, si ita arguas. Quilibet virtus perficit hominem, non tantum quoad se, sed etiam quoad Communitatem, quia qui legibus omnium virtutum actiones suas conformat, videretur perfectus esse, non tantum quoad se, sed etiam quoad Communitatem: ergo non opus est speciali habitu, quo perficiatur homo quoad Communitatem. Sed non magnopere laborandum, ut nervus argumenti huius incidatur. Neque enim bonum civi nuncupare possis, qui exercet virtutum opera, nulla ratione habitâ prosperitatis publicæ; atque adeò, qui remoto bono proprio, non moveretur felicitate publicâ ad functiones virtutum exercendas: ergo ut officium boni civis implesas, ex motivo boni communis virtutum opera exerceas,

necessè est: quem finem quia complexio virtutum aliarum per se non respicit, necessariò admittenda virtus alia, quæ actiores civium, per se ordinat ad bonum Reipubliez.

Sunt, qui Justitiam Legalem confundant cum Pietate in Patriam. Malè! Tamen enim Pietas studeat bono patriæ; non idem tamen motivum attingit, quod Justitia Legalis. Illa enim laborat, prosperitatē patriæ, quia ad nativitatem nostram contulit. Hæc vero, quia tanquam cives, &c, membra sua nos complectitur. Hinc triplex differētia inter Pietatem in Patriam, & Justitiam Legalem. Nam priores respicit patriam, tanquam locum originis nostræ. Posterior à respectu hoc planè abstrahit. Illa ponderat beneficium, à patriæ in nos collatum, dum nos tulit, ac velut genuit. Hæc attendit ad morale vaculum, quo membrum jungitur cum suotoro. Obligatio, quam illa respicit, non afficit cives omnes, sed solos originarios. Obligatio, quam hæc observat, cives omnes complectitur.

10 Occurrunt alii, qui Justitiam Legalem cum Obedientiâ committant. Sed perperam! Obedientia siquidem per se non præstans bonum commune, neque obligationem respicit, fundaram in nexu politico, quo pars necditur cum toto; sed præcisè ponderat voluntatem Superioris, lege aut præcepto expressam, cui satisfacere conatur.

11 Radix obligationis, quam respiciet Justitia Legalis, statim iure communitatis, cui fundamentum substernit nexus politicus quo cives, tanquam membrum, jungitur cum Republica, tanquam corpore politico. Pars siquidem est propter totum, cùmque fruatur eius commodis, æquum est, ut bonum quoque progreget.

12 Hoc ut rectius intelligatur, adverteadum est, in Communicatio politica jus triplex occurrere, consideratione dignum. Primo ius dominij, quod obtinet, tanquam persona ficta, in bona quædam publica, quibus tanquam suis utitur ad felicitatem propriam; quemadmodum privati rebus suis utuntur ad felicitatem propriam. Atque speciem hanc juris per se non attingit Justitia Legalis, sed Commutativa, quia est jus strictè dictum, utpote fundatum in titulo proprietatis. Quemadmodum enim privatus, sic quoque Communitas est capax veri dominij, adeoque si bona quædam titulo dominij possideat, non nimis alios in commodum proprium liberè obstrictos tenet, quād tenet quilibet privatus.

Secundò spectari potest ius dominii alti & eminentis, quod ob- 13  
 sinea Republica in personas & bona civium, ac vi cuius disponit de personis & bonis civium, prout exigunt necessitas, vel utilitas Reipubli-  
 cae. At neque hanc speciem iuris respicit Iustitia Legalis, quia est ius rigorosum, & strictè dictum. Republica siquidem habet verum ius ad conservationem sui, ac ad ea omnia, sine quibus in Communitate politica emergere non posset felix status rerum. In hoc iure vero proxime fundatur dominium altum & eminens, ac posito consensu homini-  
 um in societatem civilem, per se resultat in Communitate, tanquam omnino necessarium ad conservationem eius. Hinc dum titulo pra-  
 laudati dominii Republica disponit de personis & bonis civium, non refertur ad cives, qui tamen sunt membra Communitatis, sed eo planè modo, quo refertur ad quemvis alium. Quemadmodum enim priva-  
 tus titulus dominii privati, quemvis alium obstrictum habet, ne ab usu &  
 exercitio dominii privati se impeditat: sic Communitas quoque titulo do-  
 minii eminentis quemvis alium obstrictum tenet, ne ab usu & exercitio  
 pra laudati dominii se impeditat: in quem numerum, cum non minus ci-  
 ves pertineant, quam extranei, hinc illos & istos æquali modo relpicit.

Tertio, spectari potest in Communitate ius, quod obtinet tanquam 14  
 corpus politicum in cives, tanquam membra sua, propter morale vincu-  
 lum, quod intercedit inter totum & partes eius. Atque hanc postre-  
 quam speciem attendit Iustitia Legalis, totóque studio enititur, ut  
 membra Communitatis actiones suas ordinent ad bonum Reipublicæ,  
 propter morale vinculum, quo junguntur cum Republica, tanquam cor-  
 pore politico.

*Subjectum* Iustitia Legalis constituent membra, ex quibus conser- 15  
 git corpus politicum Reipublicæ. Hinc Princeps quoque Iustitiae Le-  
 galis obligatione distinguitur, quia est verum membrum Reipublicæ,  
 & quidem principale, cum subeat vicem capitis.

Ceterum ne in erroris præcipitum, incauto gressu deducamur, 16  
 studiosè observandum est, in Principe respectum duplicitem occurrere.  
 Primo considerari potest tanquam persona, distincta à Comunitate re-  
 liquâ, conducta à Republica ad hoc, ut Gubernatoris munus subeat, ac  
 tanquam tutor & custos regni studeat saluti publicæ. Secundò, quate-

nus tanquam caput cum membris reliquis constituit corpus politicum Reipublicæ. Priore modo spectatus distinguitur obligatione Justitiae Commutativa; quia tenetur ex contractu, quem habet cum Republicâ, atque adeo ex titulo oneroso, consulere saluti publicæ. Suprema potestas siquidem suâpte origine residet penes totam Communitatem, quia per se respicit bonum totius Communitatis, in quâ proinde, posito consensu hominum in societatem civilem, resultat tanquam naturalis quedam proprietas. Hinc si transferatur à Communitate in Principe, transfertur cum pacto oneroso, nempe ut Princeps potestate hac quam optimè fungatur, ac pro viribus consulat saluti Reipublicæ. Quenadmodum itaque ex contractu, quem privatus init cum privato, consurgit obligatio Justitiae Commutativa; vi cuius tenentur contrahentes ad ea omnia, quæ in contractum expressè, vel tacite sunt deductæ: sic quoque ex contractu, quem in translatione summa potestatis Respublicæ init cum Principe, nascitur obligatio Justitiae Commutativa; vi cuius tenetur Princeps ad ea omnia, quæ in contractum expressè vel tacite sunt deductæ: & quia ratio boni communis postulat, ut non tantum saluti publicæ, sed etiam privatorum Princeps vigilet, cum ex felici statu singulorum consurgat felicitas publica, id ipsum tacite censetur actum esse, ut non tantum necessitati publicæ, sed etiam privatorum subveniat, si absque dispendio aliorum possit. Posteriore modo spectatus, distinguitur obligatione Justitiae Legalis, quia caput Communitatis non minus tenetur actiones suas dirigere in bonum Reipublicæ, quam teneantur membra reliqua.

17 Sunt, qui censeant, Justitiam legalem, quæ dirigit actiones Principis, specie diversam esse ab illâ, quam moderatur actiones privatorum. Sed absque solido fundamento! Nam ex motivo vinculi politici, quod intercedit inter partem & terrum, dirigere actiones suas in bonum Reipublicæ, non dicit difficultatem aliam in Principe, quam in privato: ergo non eget Princeps alio virtutis habitu, quam egeat privatus. Equidem fateor, maximæ difficultatis opus esse, statuere ac determinare, quæ publico expediant. Meminisse tamen oportet, difficultati huic frangendæ, non Justitiam Legalem, sed Prudentiam publicam insister: quam semel fractâ, non magis est difficile, ex motivo boni communis, ac:

propter conjunctionem sui, tanquam partis cum Republicâ, statuere ac promulgare leges, quâ ex eodem motivo obedire legibus. *Palao par. 7. oper. mor. tract. 31. disp. un. punct. 3. n. ult. Clariss. Dn. P. Paulus Mezger Disp. Theol. de Just. cap. 1. §. 5. n. 3. & 4.*

*Objectum Justitiae Legalis* constituunt actus omnium virtutum moralium, quos ex motivo felicitatis publicæ reflexè dirigit in bonum Commununitatis. Arque hactenus differt Justitia universalis à particulari. Hæc enim circumscribitur materiâ suâ propriâ, nec per se, ac vi muneris, actus aliarum virtutum imperat. Illa verò, quia respicit finem præstantissimum, non agnoscit materiam propriam, sed ex motivo felicitatis publicæ excurrit ad actus omnium virtutum moralium, omnésque dirigere conatur in bonum Reipublicæ.

*Forma Justitiae Legalis* stat in differentia specifica, quâ distinguitur à virtutibus reliquis: quæ differentia in eo sita, quod nulla virtus aliqua actiones civium per se dirigit in bonum Reipublicæ, & quidem ex motivo juris, quod obtinet Respublica, velut corpus politicum, in cives, tanquam membra sua.

Ex violatione Justitiae Legalis per se non consurgit obligatio restituendi, quia jus, quod obtinet Respublica in membra sua, non est rigorosum, utpote non fundatum in titulo proprietatis.

### S. VI.

## *De Justitiâ Distributivâ.*

### S U M M A R I A.

1. *Justitia Distributiva* à distributione benerum communium dicta est.
2. Est virtus, quâ inclinatur Communitas ad bona communia conferenda, quibus tanquam civibus ac membris Respublica debentur.
3. Degenerat ab indeole Justitiae fratribus dictâ, quia non supponit duo subiecta perfectâ distributio, neque respicit jus rigorosum.
4. Radix obligationis, quam respicit Justitia Distributiva, sit in iure, quod habent membra Communitas ad bona communia.
5. Regia extraneum non exercetur Justitia Distributiva.
6. Subiectum virtutis bnius est Communitas, quâ talis.
7. Objectum proximum virtutis bnius sunt distributiones publicæ: remunrum, premia honores, officia publica &c.
8. Onera publica non confinunt objectum Justitiae Distributivæ.
9. A virtutibus aliis differt hac nostra, quod nubila alia bona communia inter cives distributas: à Communiativâ vero, quod non respicit jus rigorosum, quemadmodum nostra.
10. Sunt, qui sensant, per respectum ad diversas proportiones Justitiam Distributivam differre à Communiativâ.
11. Sed non recte.
12. Ex violatione Justitiae Distributivæ per se non oriens obligatoris fieri potest.

**S**ecundò huc pertinet Justitia Distributiva, quæ nomen suum habet ab actu, quem frequentius exercet, nempe à distributione bonorum communium. Evidem Justitia hæc non semper bona communia inter plures distribuit; quia si unicum vacet officium, ac divisionem respuat; vel si unicus occurrat dignus in Republicâ, exercetur actus Justitiae Distributivæ, si præmium eidem conferatur; nec tamen bonum commune inter plures dividitur: quæ ratio movit *Grotium*, ut speciem hanc Justitiae *Attributricem* diceret. Sed non debebat retinere cancellari nomen, quod inveteratus usus negotio huic peperit.

**D**efinitur Justitia Distributiva, quod sit virtus, quæ inclinatur Communitas ad bona communia iis conferenda, quibus tanquam civibus, ac membris Reipublicæ debentur.

**D**egenerat hæc virtus ab indole Justitiae, strictè dictæ potissimum ex duabus causis. Primo, quia Justitia propriè dicta, vi naturæ genericæ exigit duo subjecta, perfectè distincta: quæ distinctio non occurrit inter partem, quæ talem, & Communiteatem, quæ talem. Certè, dum exercet Communitas actum Justitiae Distributivæ, vel respicit civem, quatenus ex ipso, & membris reliquis consurgit tota Communitas; vel quatenus fictione juris distinguitur à Communitate reliquâ. Neutrum, potest dici. Non primum: quia inter partem, quæ talem, & Communiteatem, quæ talem, non intercedit perfecta distinctio, cum pars, quæ talis, inadæquate sit ipsa Communitas. Non etiam secundum: quia si civis consideret ut distinctus à Communitate reliquâ, non habet jus ad bona communia: ergo quatenus ut distincto, assignatur præmium, non exercetur actus Justitiae; hæc enim essentialiter respicit jus alterius. Nuda sanè dignitas non tribuit jus ad præmium: quemadmodum nuda habilitas ad laborandum non tribuit jus ad stipendium laboris: ergo in quantum civis consideratur ut distinctus à Communitate reliquâ, jus nullum habet ad bona communia. Deinde, jus, quod habent cives ad bona communia, non est jus rigorosum, ac strictè dictum; partim, quia officia & beneficia publica non rara respiciunt bonum ci-vium, quam ipsius Communitatis, cuius interest, suppetere officia, stipendiis dotata, quorum subsidio consequatur aptos & utiles operarios: partim, quia civis, meritis & dignitate præstans, non potest jure suo cedere:

dere: tenetur enim Superior officium vacans eidem offerre, cessione quaque non obstante, quia tenetur attendere ad boum publicum, cui præjudicare non potest voluntas privatæ. Evidem potest civis, meritis conspicuus, nolle acceptare beneficium, sibi oblatum. At non potest voluntate suâ efficere, ne teneatur superior id ipsi offerre, quia præjudicare non potest bono publico *P. Hannold tract. 2. de Just. & Jur. cap. 1. constru. 6. n. 104.*

Radix obligationis, quam respicit Justitia Distributiva, stat in jure, quod habent membra Communitatis ad bona communia, præmia, & officia publica. Jus hoc fundatur, partim in dignitate & meritis: partim in titulo dominii, quo in membra Communitatis bona communia certo respectu sibi devincta tenent. Cum enim ad Communitatem bona illa pertineant, inadæquatè quoque pertinent ad cives singulos, quia ex his, tanquam membris consurgit Communitas. Dominium itaque, dignitate & meritis circumscripsum, est radix adæquata obligationis, quam respicit Justitia Distributiva.

Hinc sua sponte sequitur, non exerceri actum Justitiae Distributivæ, si officium conferatur extraneo. Tametsi enim forte dignus sit officio: sola tamen dignitas non tribuit jus ad officium; quemadmodum nuda habilitas non tribuit jus ad stipendum laboris. Nisi proinde sis membrum Communitatis, ac tanquam membrum dominium inadæquatum obtineas in bonis communibus, non potes titulo juris à Communitate officium, aut beneficium prætendere.

*Subiectum* Justitiae Distributivæ est Communitas; vel is, qui per modum capitis Communitatem repræsentat. Cum enim ad Communitatem, quæ talem, bona pertineant, huius officio principaliter contineatur, inter cives illa dividere. Quod si quandóque officialium aliquis bona distribuat, non suo nomine, sed Communitatis, munere hoc fungitur.

*Objecitum* Justitiae Distributivæ est vel proximum, vel remotum. Proximum constitutunt distributiones publicæ, quas moderatur. Remotum, sunt præmia, honores, officia, tum Ecclesiastica, tum civilia, spolia hostibus erupta, aliisque bona, quæ pertinent ad Communitatem, quæ talem.

Onera publica non constituunt objectum Justitiae Distributivæ: partim, quia non pertinent in censum bonorum communium: partim, quia membra Communilitatis non habent jus ad onera publica, sed necessitate potius distinguntur eorum ferendorum. Evidem habent jus cives singuli, ne unus præ alio iniquè gravetur: hoc jus tamen non respicit Justitia Distributiva, sed Commutativa, quia est jus rigorosum, utpote fundatum in titulo proprietatis Quemadmodum enim privatus non potest de bonis meis plus pretendere, quam admittat mensura quantitatis debitæ: sic quoque Communitas, salvâ Justitiâ, non potest de bonis meis plus pretendere, quam ferat mensura quantitatis debitæ. Placuisse, si Justitia Distributiva sumatur latius, ita ut vocabulo hoc designetur virtus, ex motivo boni communis circa distributiones occupata, fateor sane, etiam impositionem onerum reduci posse ad predictam Justitiam. Presciverò si loquamur, onera publica à præludata Justitiâ non attингuntur, quia, ut dictum, cives non habent jus ad onera, sed necessitate potius distinguntur eorum ferendorum.

*Forma Justitiae Distributivæ* stat in differentiâ specificâ, quâ distinguitur, tum à virtutibus aliis, tum in specie à Justitiâ Comutativâ. A virtutibus aliis differt, quia nulla alia distribuit bona communia inter membra Communilitatis, ex motivo juris, quod habent membra, quâ talia, ad bona communia. A Justitiâ Comutativâ differt, quia jus, quod Distributiva respicit, non est rigorosum: partim, quia deficiunt duo subjecta, perfectè distincta: partim, quia obligatio, quam respicit, non penderet ex liberâ voluntate civium, cum cedi, ac dimitti ab his nequeat.

Sunt non pauci, qui doceant, Justitiam Distributivam à Comutativâ differre specificè in eo, quod hæc observet proportionem Arithmeticam; illa Geometricam. Proportio Arithmetica consurgere dicitur, quando numeri ita procedunt, ut inter omnes æqualis occurrat distantia. Sic v. g. inter 2. 4. 6. & 8. intercedit proportio Arithmetica, quia inter predictos numeros æquale occurrit intervallum. Ut enim numeris quaternarius duabus unitatibus distat à binario: sic quoque sexenarius à quaternario, & octonarius à sexenario. Proportio Geometrica resultare dicitur, quando numeri ita procedunt, ut, quot partibus con-

Si numerus secundus, comparatus ad primum; et quaque conferatur quartus, comparatus ad tertium. Sic v. g. si numerum binarium, cum quaternario ex una parte; & senarium cum duodenario ex altera parte conferas, proportione Geometrica discretos esse deprehendes. Uti enim numerus quaternarius bis continet binarium; sic quoque numerus duodenarius bis continet senarium. Similiter, si numerum novenarium conferas cum senario ex una parte; & senarium cum quaternario ex altera, proportione Geometrica disjunctos esse intelliges. Ut enim numerus novenarius semel continet senarium, ac insuper medium partem eius; sic quoque numerus senarius semel continet quaternarium, ac insuper medium partem eius. Censem itaque non pauci, à Justitia Commutativa per se intendi proportionem Arithmeticam: à Distributiva verò Geometricam. Illa enim enititur, ut inter jus activum & passivum consurgat absoluta æqualitas: hæc verò, ut, quæ proportione dignior superat minus dignum; eadem proportione præmium, quod digniori decernitur, excedat præmium, quod assignatur minus digno. Sic v. g. si dignitate & meritis unus alterum duplo superet, constituitur Justitia Distributiva, ut præmium quoque, quod illi decernitur, duplo superet præmium, quod decernitur alteri.

Sed hæc sententia confundit naturam cum essentiâ. Fato sane, à Justitia Distributiva frequenter observari proportionem Geometricam; à Commutativa Arithmeticam. Sed nego, hactenus unam distingui ab altera, quia non est perpetuum, quod distributiva observet proportionem Geometricam; Commutativa Arithmeticam. Sic v. g. si unicus adsit in Communitate, meritis conspicuus; vel unicum vacet officium, collatio pertinet ad Justitiam Distributivam, nec tamen observatur proportio geometrica, quia officium conferri non potest, nisi unius adeoque deficiunt quatuor termini, qui inter se comparentur. Contra, si duo societatem contrahant, ac unus centum, alter ducenta conferat, ac luctum sit 30. florenorum, divisio pertinet ad Justitiam Commutativam, nec tamen observatur proportio Arithmeticæ, sed Geometricæ: ille enim, qui centum contulit, decem; qui ducenta, viginti accipit; quia uti se habent centum ad ducenta, sic decem ad viginti: quæ est proportio Geometricæ, non Arithmeticæ: ergo Justitia Distributiva & Com-

mutativa non differente specificè per respectum ad diversas proportiones. Confer P. Hannoldum tract. 2. De Jus. & Jur. cap. 1. contro. 6. n. 24.

Ex violatione Justitiae Distributivæ, per se, non oritur obligatio restituendi; quia jus, quod habent cives ad bona communia, non est rigorosum, utpote non fundatum in titulo proprietatis; cum bona communia propriè non sint bona singulorum. Quod si distributor salario publico sit conductus ad certa bona, vel officia, inter partes Communictatis distribuenda, bonis iniquè divisis, tenetur ad restitutionem, quia ex contractu illo nata fuit obligatio Justitiae Commutativæ.

### §. VII.

## De Justitia Vindicativa.

### S U M M A R I A.

1. Encomiam Justitiae Vindicativa.
2. Est virtus, quā inclinatur superior ad poenam condignam delictis imponendam.
3. Pena vindices per se sunt honesta, si respiciant honestum finem, infilantur auctoritate publica, ac modum non excedant.
4. Justitia Vindicativa est virtus specialis, distincta ab omni virtute alia.
5. Non tamen est propria species Justitiae.
6. Jus, quod habet reos, ne ultra modum exactus, accingitur à Justitia Communictativa.
7. Etiam jus, quod habet Republica ad impositionem paenarum, assignatur à Justitia Communictativa.
8. Observeturne in impositione paenarum proportion Geometrica, an Arithmetica?
9. Sunt, qui doceant, observari proportiones Geometricas.
10. Sed senior est sensus, attendi proportionem Arithmeticam.
11. Non omnis resolutio personarum invexbit proportionem Geometricam.

**R**estat Justitia Vindicativa, de qua si dixero, quod sit stabilimentum quietis publicæ, praesidium tuabearæ auctoritatis, terror scelerum, malleus improbitatis, non erravero. Est nimurum suum poenis quoque, ac tormentis pretium, ubi nefaria capita sunt percellenda. Succrescit enim flagitiis animus, nisi ad observantiam æqui, bonique, metu paenarum refractarii inflectantur. Frontem obfirmat protervia, ubi faciem sibi veniam pollicentur scelera. Libertatem peccandi induit malitia, ubi criminibus asylum patet misericordia. In desuetudinem factiscit legum obedientia, nisi ab armata Nemesis acerbitate paenarum revoecatur in memoria.

Definitur Justitia Vindicativa, quod sit virtus, quā inclinatur superior ad poenam condignam delictis imponendam.

Poenas vindices per se honestas esse, ac licitas, si debito circumstan-

tia concurrant, certum est. Nam omne delictum per se meretur poenam: hæc ergo, si ex honesto fine, ac juxta modum culpar, autoritate publicâ infligatur, honestè infligitur. Unde advertis, ad honestatem poenæ tria requiri. I. ut respiciat honestum finem, atque adeò, ut non quiescat in nudo malo alterius, sed eò tendat, ut vel reus emendetur; vel, si pudorem omnem decoixerit, acerbitate poenæ inhabilis reddatur ad peccandum; vel denique, ut scandalum, scelere datum, exemplo poenæ reparetur, ac à flagitiis alii abducantur. II. requiritur, ut vindicta sumatur autoritate publicâ. nam facultas poenæ infligendæ pender à potestate publicâ: partim, quia supponit jus in personam delinquentis, ut, si nolit sententia vindici sponte obsequi, ad fatalem obedientiam vi imperii compelli possit: partim, quia per se ordinatur ad utilitatem publicam, adeoque fundari debet in potestate publicâ: partim denique, quia non expediebat, jus poenæ infligendæ privatis competere, ob gravissima mala & incommoda, quæ sequerentur in Republicâ. III. requiritur, ut vindicta modum non exceedat, atque adeò, ut poena culpæ justâ proportione respondeat: hanc enim si supereret, crudelitatem, non poenam redolet.

Hinc colligo, Justitiam Vindicativam esse virtutem specialem, distinctam ab omni virtute aliâ; quia habet motivum & objectum speciale, distinctum à motivis & objectis omnium aliarum virtutum: nulla enim virtus alia ex motivo boni communis, ac studio disciplinæ publicæ, posse nascitur æqualitatem inter culpam & poenam.

Planè, licet Justitia Vindicativa sit virtus specialis, distincta ab omni virtute aliâ; non tamen imbibit veram naturam Justitiae, quia non respicit jus alterius; cum reus criminis non habeat jus ad poenam, sed necessitate potius distingatur eius sustinendæ.

Equidem habet jus reus criminis, ne ultra modum improbitatis suæ castigetur. Hoc jus tamen non respicit Justitia Vindicativa, sed Commutativa, quia est jus rigorosum, ac strictè dictum.

Similiter is, qui armatus est mero imperio, tenetur vi officii poenam condignam criminibus decernere. Sed neque hoc debitum respicit Justitia vñdicativa; quia Respublica habet jus rigorosum, & strictè dictum, ut magistratus, ad studium disciplinæ publicæ salario con-

ductus, justā severitate flagitia percellat. Quatenus itaque praeceps poena condigna facinoroso imponitur, non exercetur actus Justitiae, quia reus criminis non habet jus ad poenam, sed necessitate circumscriptitur eius sustinenda. Quatenus verò spectatur jus, quod obtinet Republica, ne delicta manent impunita; vel jus, quod habet reus, ne ultra modum admissi castigetur, exercetur quidem actus Justitiae, sed Communitativæ. Atque hinc fortè est, quòd virtus hæc nomen tulerit Justitiae, quia videlicet vindicta publica, & qui justique terminis coercita, nunquam incedit sine comite Justitiæ, cum elaborare teneatur superior; tum ne poena exorbitet; tum ne suffragio projectæ lenitatis detrimentum incurrat disciplina publica.

8 De illo non satis inter Authores convenit, observeturne in impositione poenarum proportio Arithmeticæ, ac Geometricæ?

9 Sunt, quibus persuasum est, observari proportionem Geometricam: cuius opinionis causam agit Vir suminæ Authoritatis, ac qui cum omni posteritate memoriam nominis sui adæquat, *Anton. Matthæus, Comment. ad Lib. 48. ff. tit. 18. cap. 4. n. 7.* Sententiae huic patrocinari videntur textus in l. 10. princ. & l. 28. §. ult. ff. *De pœn.* in quibus locis traditur, gravius scotos, quam homines ingenuos plectendos esse: ergo in irrogatione poenarum observatur proportio Geometrica, quia habetur ratio personarum.

10 Sed in lubrico consistit hæc opinio, ac levi arguento impulsâ præceps fertur. Justitia Vindicativa siquidem tota quanta in eo desudat, ut poena exequatur cum culpâ; atque adeò, elaborat, ne aut poena maior imponatur, quam exigat mensura delicti; aut minor, quam postulet ratio disciplinæ publicæ: ergo sicut in contractu emptionis venditionis y. g. prævalet proportio Arithmeticæ, quia pretium perfectè adæquat cum valore rei venditæ; sic quoque in irrogatione poenarum dominatur proportio Arithmeticæ, quia quantitas poenæ perfectè adæquate cum quantitate culpæ: tanta enim poena, non major, aut minor, dictatur, quam exigit mensura flagitiæ, & ratio devotionis publicæ.

Fatior sane, in irrogatione poenarum statum ac conditionem personarum quandoque inspici. Sed non aliam ob causam, quam quia deli-

delicta quædam ex circumstantiis estimantur, ac à dignitate, aut vilitate personarum pondus capitunt. Sic v. g. si homo liber, & servus vixi honorati faciem colaphis percutiat, acerbiorē poenā servus, quam liber plectitur. Cur? quia atrocius reputatur factum servi, quam hominis ingenui. d. l. 10. princ. & l. 28. §. ult. ff. Depon. Quin, licet fingas, delicta improbitate esse paria, tamen asperiore Nemesis servus plectitur, quam homo ingenuus. Cur ita? quia poenam leviorem eodem loco habet quo ille acerbiorē serviēnūm cruentari corporis; ingenui dolore animi modum poenarum estimant.



## TITULUS II.

### De Jure Naturæ, Gentium & Civili.



Citionis justæ expressa fuit essentia. Hæc verò quia consistere non potest absque suis principiis, concatenata doctrinæ series postularat, ut principia actionis justæ persequar. Cui labori lubens accingor, quia experientiâ didici, principia Philosophiæ moralis fatali quâdam Socordiâ à Jurisprudentiæ Candidatis negligi. Philosophiæ naturali, ac subtilitatibus, quæ ad usum humanae vitæ parùm momenti afferunt, integrum biennium, imò triennium impendi videas. Disciplinam verò, quæ mores instruit, principia humanarum actionum exsplicat, legum fontes aperit, ad sapientiam forensem viam iterat, ac sine cuius præsidio in Jurisprudentiæ arteam, intimamque Regiam nunquam penetraveris, incuria summe noxiâ prætermitti advertas. Huic malo ut validam medelam afferam, ad primos Scientiæ Legalis fontes digrediar, ac principia scrutabor, sine quorum noticiâ, quisquis sustinet longum ac impeditum iuris iter ingredi, in errorum scopulos passim impingat, necesse est. Authores rarissime allegabo; non quod ex aliis non profecerim, sed ut chartæ parcam; vel potius, ut Lectorem non terream, si Theologos frequenter addensem. Ne tamen existimes, Authores proletarios fuisse à me adhibitos, potissimum in antecessum reddam, ut scias, quos consulere debas, si doctrina hæc ulteriore salivam tibi moveat. Sunt verò sequentes, cum quibus tigi familiarius: nempe P. Suarez De act. human. P. Tanner, P. Sanchez in Decal. Cœfina Rector, Bonacina De peccat. Pallavicini. De act. human. Gibalinus, Honoratus Fabri De Opin. prob. P. Haenold De act. human. Cum Pater Cardenas quoque, Theologo Hispano, familiaritatem intimam contraxi. Huius Crisiin Theologicam, five tres tomos, quos conscripsit De probabilitate opinionum, valde aestimo: id tamen in Authore displiceret, quod Controversiam de usu opinionis probabilis, quam septem aut octo foliis poterat concludere, tanto cum apparatu pertractaverit. Eadem centies repetit ac ingeminat; quasi hominibus

minimis cordatis non sufficeret, veritatem semel intellectuisse. Homines fungi curandi non erant. Consului etiam non semel Tribunal patensentie, conscriptum à duobus fratribus, P. Marshes & P. Joasone Stac : quod opus stipendiariis legum Affectionis impensisimum commendando, ut manusia curare ita condiscant, ne conscientiam offendant.

## CAPUT I.

## De Principiis communibus actionis justæ.

## SUMMARIA.

1. Ut actio sit iusta, dobes esse moralis, ac legi præcipienti, vel prohibenti congrua.
2. Actio moralis definitur, quod sit actio voluntaria libera, elicita cum advertentiâ rationis ad regulam honestatis.
3. Etiam I. dobit procedere à voluntate II. effectiva. III. supponere advertentiam rationis ad regulam honestatis.

**U**T actio humana Justitiae prærogativâ fulgeat, duo concurrant, necesse est. I. ut sit actio moralis. II. ut legi præcipienti, vel prohibenti congruat. Primam conditionem desiderat actio justa vi naturæ genericæ. Alteram vi naturæ specificæ.

Primo itaque requiritur ad actionem justam, ut sit moralis. Definitur actio moralis, quod sit actio voluntatis libera, elicita cum advertentiâ rationis ad regulam honestatis.

Unde advertis, tria requiri ad actionem moralem. I. ut procedat à voluntate. II. ut libertatem præferat. III. ut sit elicita cum advertentiâ rationis ad regulam honestatis.

## §. I.

## De voluntario.

## SUMMARIA.

1. Voluntarium censetur, quod ita procedit ab intentione, ut cognito fato appetitum dirigas.
2. In bruis non cada voluntarium perficitur.
3. Voluntarium est vel liberum, vel necessarium.
4. Voluntarium liberum est vel directum, vel indirectum.
5. Ut conficiatur aliquid indirectum voluntarium, cogniti debet connexio, que dasur inter obiectum directum intentum, ac effectum, qui sequitur.
6. Obiectum, directum intentum, est quandoque possumus, quandoque negamus, ne sub-

quandisque obligationi, quandoque non.

7. Quando obiectum, directum intentum, fiat realiter in ipso locamento alterius, locumentum censetur directum voluntarium, h[oc]c formaliter non sit intentum.

8. Quando obiectum, directum intentum, non fiat realiter in ipso locamento alterius, inter se, sum sicut et alterum datur necessaria connexio, locumentum censetur indirectum voluntarium.

9. Quando obiectum, directum intentum, non subsit pro se, ne inter illud et locumentum alterius

*alterius datur example solum contingens, nocumentum non consetur indirecte voluntarium.*

10. *Quando voluntum directe intentum subest ob-*

*ligationis; nocumentum, quod voluntarii, unde seatur indirecte voluntarium, licet inter ob- jectum, directe intentam. Et nocumentum non datur ratione velia; quod contingens.*

**P**RIMO itaque requiritur ad actionem moralem, ut procedat à voluntate, atque adeò ut sit voluntaria. Voluntaristum consetur, quod ita procedit ab intrinseco, ut cognitio finis appetitum dirigat. Unde suā sponte sequitur, duo requiri ad voluntarium. I. ut procedat ab intrinseco, atque adeò à principio, quod excitatum à bonitate, vel malitia obiecti, se ipsum velut movet, ac extra se raptum, benevolo affectu objec-tum complectitur, si bonitatem præferat; vel aversatur, si malitiā sordeat. II. ut cognitio finis appetitum dirigat. Voluntas siquidem est potentia, per se planè cœca; quæ proinde elicere non potest operatio-nem vitalem, nisi à præviâ cognitione dirigatur; quia nihil volitum, nisi præcognitum.

2. In bruta non cadit voluntarium perfectum: cadit tamen imperfe-c-tum. Ad voluntarium perfectum siquidem requiritur, ut medium eligatur propter finem: tuus electionis incapaciam sunt bruta; quia comparare nequeunt medium cum fine, cum proportionem non agnoscant inter medium & finem. Voluntariorum imperfectum tamen cadit in bruta, quia congenitā propensione feruntur in finem, à naturā intentum; neque feruntur cœco imperio, ut lapides, sed quia in objecto, sensibus percepto, bonitatem agnoscunt, à quā naturali quodam fascino trahun-tur.

3. Voluntarium est, vel liberum, vel necessarium. Liberum dicitur, quod ita procedit ab intrinseco, ut obiectum tum bonitas, tum malitia appetitui præluceat. Necessarium, quod procedit ab intrinseco, absque hoc, quod cognitio indifferens appetitum dirigat. Quando itaque prosequimur obiectum, cuius tum bonitatem, tum malitiam habemus perspectam, prosequimur appetitione liberâ. Contra, quando ferimur in obiectum, in quo meram agnoscamus bonitatem, nullo plane occur-rente motivo, quod absterrat, ferimur appetitione necessariâ. Quemadmodum enim intellectus prima principia, recte apprehensa, necessa-rio assensu approbat: sic etiam voluntas bonum, sine permixtione ma-li propositum, amore necessario complectitur, quia toto naturali ponde-re fer-

re feratur in bonum ; quod proinde , si nullâ malitiâ circumseptum inventat , non potest non amore prosequi , cum motivum desit , quod ab amore retrahat .

Voluntarium necessarium non est dispectionis nostræ . Liberum scinditur in directum , & indirectum . Voluntarium directum dicitur , quod à voluntate per se intenditur . Indirectum , quod à voluntate per se quidem non intenditur ; connexionem tamen habet cum aliquo , quod per se intenditur . Sic v. g. si eo animo te vulnarem , ut occidam , mores tua censemur directè mihi voluntaria , quia respectu actionis meæ sustinet rationem finis & motivi . Contra , si misericordiâ ductus servum vinculum solvam , præjudicium domini indirectè censemur mihi voluntarium . Tametsi enim non substet intentioni in ea ; liberè tamen posso causam , ex qua certitudine morali sequitur ; adeoque in ipsâ causâ præjudicium domini censemur mihi voluntarium : qui enim liberè vult causam , censemur quoque virtute , ac indirecte yelle effectum , qui ex causâ illâ sequitur .

Cæterum , ut censeatur aliquid indirectè voluntarium , cognosci debet connexionio , qua datur inter objectum , directè intentum , ac effectum , qui sequitur : nihil enim volitum , nisi præcognitum . Hinc si ebrius hominem interficiam , homicidium ita demum censemur mihi voluntarium , si sciverim , quod soleam vino madidus nocere aliis : id si ignoraverim , homicidium non censemur mihi voluntarium , cum nihil volitum , nisi præcognitum .

Objectum , directè intentum , est quandóque positivum , quandóque negativum . Sic v. g. si misericordiâ ductus servum vinculum solvam , objectum , directè à me intentum , stat in solutione servi , adeoque in aliquo positivo . Contra , si nauclero , in periculo versanti , nou succurrarum , objectum , directè à me intentum , stat in liberâ omissione auxiliaris operæ , adeoque in aliquo negativo . Inter objectum , directè intentum , & effectum , qui sequitur , intercedit quandóque connexionio necessaria , necessitate vel physicâ , vel morali , quandóque contingens . Sic v. g. si misericordiâ ductus servum vinculum solvam , inter solutionem servi , & præjudicium domini intercedit connexionio , in estimatione morali necessaria , quia moraliter sum certus , fore , ut servus , vinculis solitus , fu-

giat. Contra, si teste reficiendo intentus, regulas incaute principiis, ac praeter eum vulnerem, inter objectum, directe intentum, & nocumentum alterius, non datur connexio necessaria, sed contingens, quia aquæ facile evenire potest, ut nemo tangatur, quam ut tangatur aliquis. Objectum, directe intentum, substat quandoque obligationi & precepto, quandoque non. Sic v. g. servum vindictum non possum salvâ justitiâ solvere, ut fugiat. Contra, nauclero, in flumine periclitanti, non tenor ex Justitia succurrere, si ratio officii necessitatem mihi non afferat. Hæc præmittenda erant. Luber jam principia, tanquam fila ēlino, trahere.

### PRINCIPIUM I.

7 **Q**uando objectum, directe intentum, stat realiter in ipso nocumento alterius, nocumentum censemur directe voluntarium, licet formaliter non sit intentum.

*Probatur.* Qui ictu valido uterum feminæ prægnantis eo fine percutit, ut matrem perimat, censemur directe velle necem infantis; quia id est taliter non potest intendere, quoniam hoc ipso directe intendat mortem infantis, cum valida percussio uteri prægnantis sit ipsa realis occisio infantis: ergo quando objectum, directe intentum, stat realiter in ipso nocumento alterius, nocumentum censemur directe voluntarium, eto formaliter non sit intentum. *Confirmatur.* Licet is, qui uterum feminæ prægnantis valido ictu percutitur, necem infantis formaliter non intendat; imo protestetur, quod animum non habeat prolis perimendæ; realiter tamen, & in actu exercito non potest non directe velle necem prolis, quia finis, directe intentus, stat realiter in ipsâ occisione prolis: ergo ut nocumentum alterius censemur directe voluntarium, non requiritur intentio hedendi formalis, sed sufficit materialis, sive talis, que in actu exercito sit directa.

### PRINCIPIUM II.

8 **Q**uando objectum, directe intentum, non stat realiter in ipso nocumento alterius, inter unum tamen & alterum datur necessaria connexio, nocumentum censemur indirecte saltem voluntarium.

*Probatur ex l. 7. §. 7, ff. De dol. mal. l. 7, princ. ff. Depos. &c. l. ult. §. 2.*

*ff. De cunctis nos. in quibus locis de culpa, non dolo, teneri dicuntur, qui miseratione ductus servum vindictum solvit. Unde sic arguo. Solvens ferum vindicatur debet documentum domini aliquo modo esse voluntarium; quia, quod nullo modo est voluntarium, impunitari non potest ad culpam. Sed non est voluntarium directe, quia directa intentio latendi dolen contrinetur. 2. S. 2. & 4. ff. De iuri boni negoti. l. 1. S. 2. ff. De del. mal. ergo indirecte. Confirmatio. Qui intentione directe vult actionem, cum datur alterius per te connexam, censetur indirecte velle ipsum damnum; quia non potest publice damnatum, si efficaciter velit causam, ex qua mortali certitudine damnum sequitur: ergo quando inter objectum, directe intentum, & nocumatum alterius datur necessaria connexio, documentum censetur indirecte latentem voluntarium.*

### PRINCIPIUM III.

**Q**uando objectum, directe intentum, non substat precepto, ac inter illud, & documentum alterius, non datur connexio alia, quam contingens, documentum non censetur indirecte voluntarium.

*Probatur. Quando nauelero periclitanti non suocurro, cum non debeam, inter submersiōnē navis, & omissionē meā, neque intendit connexio phisica, neque moralis. Non phisica: quia submersio navis per se non penderet à voluntate meā, sed adaequatè procedit à causā aliā, puta, à vehementiā tempestatis. Non moralis: quia tam parūm imputari mihi ad culpam potest, quam parūm possit angelo, qui suppetias ferre potuit, neque tulit: ergo submersio navis non censetur indirecte mihi voluntaria. Evidēt fator, omissionē auxiliaris operae esse mihi voluntariam, cum penderet à voluntate meā, rāquam à principio. At nego, submersiōnē navis esse mihi voluntariam, cum plane non penderet à voluntate meā. Tamen si enim calento periculo, ac re integrā, sim liber ad submersiōnē impediriā; non tamen sum liber ad inducendā, cum adaequatē penderet à causā aliā, puta à vehementiā tempestatis.*

### PRINCIPIUM IV.

**Q**uando objectum, directe intentum, substat obligationi, documentum, quod sequitur, censetur indirecte voluntarium, licet inter objec-

Quum, directe intentum, & documentum non detur. connectio alia quam contingens.

**Probatur.** Qui prope viam publicam ramum ex arbore incaricò dejicit, ac præter quædam vulnus, tenetur de culpa §. 5. *De Leg. sequit.* l. 3 i. ff. cod. ergo damnum debet aliquo modo ipsi esse voluntarium, quia quod nullo modo est voluntarium, imputari non potest ad culpam. Sed non est voluntarium directe, deinceps non intentum, ergo indirecte. **Confirmatur.** Qui tenetur abstinerre ab actione periculosa, nec tamen abstinet, in ipso periculo, quod voluntarie amplectitur, censetur velle damnum, voluntate si non physica, saltem morali; quia debuit eavere periculum: ex qua obligatione proinde resultat connectio moralis inter objectum, directe intentum, & damnum, quod sequitur: ergo esto no-  
mentum non pendeat voluntate nostra physica, pendet tamen mora-  
liter, sive ita, ut imputari ad culpam possit.

## S. II.

*De involuntario ob defectum principij intrinseci.*

## SUMMARIUM

- 1. **Involuntarium consurgit.** si, vel non procedat, a principio intrinseco, vel cognitio appetitum non dirigit.
- 2. **Violentum est.** quod ita procedat ab expiacione, ut non possit resistas.
- 3. **Metus est passio animi, imminentis malitiæ.** 11. Etiam ille actus, quæ ex metu ita procedit, ut fieri procedat ex malicio alio, est simpliciter voluntarius.
- 4. **Concupiscentia est vehementis passio, residentis in parte sensitiva, ac inclinans ad objectum amandum.** 12. Extra species relata, actus, metu gestus, est secundum quid involuntarius.
- 5. **In actibus clausis voluntas non potest nisi quo lentiam.** 13. Actus procedens ex metu, relinquente locum consultationi, ceteris paribus, non est plenus immunit à culpa & pena.
- 6. **In actibus imperatis voluntas potest sufficere violenciam.** 14. Actus procedens ex metu, relinquente locum consultationi, per se loquendo, est validus.
- 7. **Actus vi extorti, neque praemium merensur, neque paenam.** 15. Concupiscentia non minuit voluntarium: mō-  
nit tamen, ac quandoque omnino collipit  
berum.
- 8. **Actus procedens ex metu, est simpliciter voluntarius.**
- 9. **Quamvis actus, procedens ex metu, simpliciter.**

**V**oluntario opponitur involuntatitum, quod consurgit ex duabus causis: I. si non procedat ab intrinseco. II. si cognitio appetitum non dirigit. Dicamus initio de involuntario, cui fundamentum sub- sternit

sternit defectus principii intrinseci. Ubi justa doctrinæ series postulat, ut de Vi, de Metu, & Concupiscentia agamus.

Vim definit Iustus in l. 2. ff. Quod mox. cons. quod sit maioris rei impetus, qui repellere non potest. Violentum itaque censetur, quod ita procedit ab extrinseco, ut passum non tantum nihil conferat, sed toto corpore resistat ac reluctetur. Sic v. g. si resistenti mibi manum abripias, illaque Titum adstantem percutias, vim absolutam patior. Tametsi enim instrumenti vicem brachium meum sustineat; resisto tamen, quantum possum, neque virtute activâ ad percussionem concurro, sed passim tantum me habeo.

Metus definitur, quod sit passio animi, imminens malum fugientis. Resultat in nobis, quia ab agente necessario, vel libero in eas concipiuntur angustias, ut unum ex duobus malis sit perferendum. Sic, dum in mari periculosa tempesta oritur, mercator in eas detruditur angustias, ut teneatur aut merces, aut vitam perdere. Utrinque jacturam averatur, tanquam plenam calamitatem & miseriâ. Quia tamen jacturam vitæ apprehendit tanquam magis acerbam, hinc declinando maiori infortunio, decurrit ad projectionem mercium, ac tristi hoc medio vitam servare ntitur. Quandóque tamen ex metu ita operamur, ut actum non apprehendamus tanquam tristem, ac conjunctum cum infelicitate nostra. Sic si metu poenæ, legibus constitutæ, omittam homicidium, omissionem non apprehendo tanquam tristem, ac cum miseriâ meâ conjunctam: scio enim, poenam illam promovendæ felicitati, tum publicæ, tum privatæ singulorum latam esse. Sic quoque, si metu inductus occidam Titum, capitalem inimicum meum, homicidium non apprehendo tanquam triste; quin letor potius, odio meo per metum subiecta fuisse calcaria.

Concupiscentia est vehemens passio, residens in parte sensitivâ, ac inclinans ad objectum aliquod amandum. Passionis huius ea vis est, ac protervia, ut imperium voluntatis non semper agnoscat. Illecebris suis invitos nos adorit, ac dulci violentiâ sub jugum mittere conatur. Vim sine vi adhibet, ac blandâ tyrannide, suavique tormento in delitosos voluptatum casles trahere nos elaborat. Hactenus prælusi Spartæ, quam adornare jam aggredior,

## PRINCIPIUM I.

**I**N actibus elicitis voluntas non potest pati violentiam.

*Probatur.* Actus, à voluntate eliciti, sunt vitales, adcōque essentialiter exigunt procedere à principio intrinseco: ergo non possunt voluntati afferre violentiam. *Confirmatur.* Oculi dum vident, aures dum audiunt, nares dum olfactiunt, non patientur violentiam; quia visio, auditio, olfactus, sunt operationes vitales, adcōque essentialiter exigunt procedere ab intrinseco: ergo etiam voluntas, dum appetit, non patientur violentiam, quia appetitio est operatio vitalis, adcōque essentialiter exigit procedere ab intrinseco.

## PRINCIPIUM II.

**I**N actibus imperatis voluntas potest sufferre violentiam.

*Probatur.* Actus imperati dicuntur, qui procedunt à potentia, subiecta imperio voluntaris; quemadmodum potentia ambulandi, loquendi, vivendi, & facultates id genus aliae, sunt obnoxiae imperio voluntatis. Sed in his actibus potest voluntas pati violentiam, quia si fugere, si cælum intueri, si cum amico conversari desiderem, tūque invito coepedes injicias, os comprimas, oculos claudas, vim absolutam patior: ergo in actibus imperatis potest voluntas pati violentiam.

## PRINCIPIUM III.

**A**Ctus, vi extorti, neque premium merentur, neque poenam.

*Probatur.* Actus, vi extorti, nullo modo sunt voluntarii, quia ita procedunt ab extrinseco, ut paciamur, non agamus cap. 5. De his que vi metusque caus. ergo neque premium merentur, neque poenam; quia actus necessarij neque laude sunt digni, neque vituperio.

## PRINCIPIUM IV.

**A**Ctus, procedens ex metu, est simpliciter voluntarius.

*Probatur.* Voluntarium est, quod ita procedit ab intrinseco, ut cognitio finis appetitura dirigat. Sed hoc modo procedit actus, metu gestus; quia qui ex metu operatur, intelligit, in quas angustias sit connectus; ac ut malum maius effugiat, minus amplectitur: ergo actus, metu gestus, est simpliciter voluntarius.

PRINCIPIUM V.

Quamvis actus, procedens ex metu, simpliciter sit voluntarius; quandoque tamen non est liber, sed necessarius.

*Probatur.* Potest metum comitari tanta animi perturbatio, ut consultationi via omnis praeccludatur, ac voluntas ex eo impetu in eam patet trahatur, in quam malum imminens inclinat: ergo licet actus talis procedat a voluntate, non procedit tamen liberè; quia ad actum libertum essentialiter requiritur imperturbata bona, mali cognitio, atque adeo requiritur, ne a tyrannie passionum in eum statum redigamus, in quo versantur cœrit & amentes.

PRINCIPIUM VI.

Actus, procedens ex metu, quem contumaciam poenatum leges inducunt, per se loquendo, est simpliciter voluntarius.

*Probatur.* Qui metu poenarum legalium modestè agit, ac ab iniuria abstinet, modestiam suam, per se loquendo, non apprehendit tamquam tristem, ac cum miseria sua conjunctam, sed agnoscit potius, quod momentum non leve ad felicitatem suam conferat: ergo cum in actu, quem intermitit, singulariter nihil displiceat, nihil quoque potest esse involontarium.

PRINCIPIUM VII.

Tiam ille actus, qui ex metu ita procedit, ut simul procedat ex motivo alio, est simpliciter voluntarius.

*Probatur.* Qui metu adigitur ad occidendum Tithum, quem metu etiam secluso, interfecturus erat, non apprehendit homicidium tamquam triste, sed potius, tamquam coniunctum cum incremento felicitatis suæ: ergo homicidium tale nullo respectu est ipsi involontarium. Tamen si enim vis, quam patitur, fortasse displiceat, actus tamen, ad quem vis ordinatur, nullo modo displiceret.

PRINCIPIUM VIII.

Extra species relatas, & paucas forte alias, actus, mens gestus, est secundum quid involontarius.

*Probatur.* Qui operatur ex metu, exercet actionem, quam apprehendit tamquam tristem, ac conjunctam cum dispendio felicitatis suæ: ergo

ergo actio, procedens ex metu, est secundum quid involuntaria; quia propter molestiam, quam secum trahit, simpliciter displicet, ac plus mortoris effert, quam letitiae. *Confirmatur:* Esto jactura mercium minus displiceat mercatori, quam jactura vita; utramque tamen aversatur tanquam sibi nexiam, ac cum miseriā & damno suo conjunctam: ergo esto jactura mercium, cum naufragio comparata, placeat; per se tamen displicet, quia per se dispendium felicitatis secum trahit. *Promovetur argumentum.* Per se molestum est, ac plenum tristitia, conjectum esse in eas angustias, ut unum ex duobus malis sit preferendum: ergo licet actio, procedens ex metu, eo respectu placeat, quod à maiori malo liberet; per se tamen displicet, quia per se tristitiam affert, ac dispendium felicitatis.

### PRINCIPIUM IX.

**A**Ctus, procedens ex metu, relinquente locum consultationi, ceteris paribus, non est plane immunis à culpā & poenā, si veretur circa objectum dishonestum.

*Probatur.* Actus, procedens ex metu, relinquente locum consultationi est voluntarius & liber, quia, ut JCtus ait in l. 2 i. §. 5. ff. *Quod met. caus.* etiam coacta voluntas est voluntas: ergo, si attingat objectum dishonestum, ceteris paribus, non est prorsus immunis à culpā & poenā. Plane, si metus sit gravis, & actus solā lege positivā prohibitus, nec redundet in grave damnum boni communis, immunem dixeris à culpā & poenā; quia Legislator non censetur obligare velle cum magno periculo vita, aut alterius gravis damni. Quod si metus respiciat contemptum legis, hoc est, si eo fine inferatur, ut transgressione legis superior legitimus spernatur, ac legis authoritas apud alios evilescat, non excusat à culpā & poenā; quia lex humana censetur obligare etiam cum periculo vita, si transgressio eius cedat in grave damnum boni communis *P. Suarez* Lib. III. De LL. cap. 30. n. 7. & seqq. & plures alij ad cap. 5. *De his, qua vi met. caus.*

### PRINCIPIUM X.

**A**Ctus, procedens ex metu, relinquente locum consultationi, per se loquendo, est validus.

*Probatur.* Actus, procedens ex metu, relinquente locum consultationi, est voluntarius & liber: ergo tenet. Quod si tamen actus sit ciuius naturæ, ut semel validus rescindi nequeat, est ipso jure irritus; ne exter quoquin innocens sufferre cogatur damnum, quod nullâ suâ industriâ declinare poterat. Sed de hoc alibi.

## PRINCIPIUM XI.

**C**oncupiscentia non minuit voluntarium: minuit tamen, ac quandō- 15 que omnino tollit liberum.

*Probatur pars prima.* Qui operatur ex concupiscentiâ: v. g. qui desiderio vindemiarum laborat in vineâ, tametsi advertat, actionem suam molestiâ circumseptam esse, non apprehendit tanien illam velut molestiam, sed potius tanquam absolutè bonam, ac conjunctam cum augmento felicitatis suæ; eoque respectu cum gudio & alacritate operi accingitur: ergo actio, procedens ex concupiscentiâ, nullo respectu est involuntaria.

*Confirmatur.* Ideo actus, procedens ex metu, est secundum quid involuntarius, quia per se censetur triste, ac conjunctum cum detimento felicitatis nostræ, conjectum esse in eas angustias, ut unum ex duobus malis sit preferendum: ergo actus, procedens ex concupiscentiâ, nullo respectu est involuntarius; quia non videtur per se triste, suscipere actionem, molestiam quidem, conseq̄uam tamen cum incremento felicitatis nostræ.

*Promovetnr argumentum.* Non omne, quod modo quocunque in objecto displaceat, minuit voluntarium: alioquin omnis actio libera esset certo respectu involuntaria, quia omnis actio libera supponit ex parte objecti motivum retrahens, sive tale aliquid, quo posset voluntas dimoveri ab odio, aut amore objecti: ergo ut actio evadat ex parte involuntaria, debet in objecto tale aliquid relucere, quod aversamur, tanquam conjunctum cum detimento felicitatis nostræ: ergo molestia, quam secundum trahit objectum concupiscentiæ, planè non minuit voluntarium; quia non aversamur illam, tanquam conjunctam cum incremento miseria nostræ, sed læti potius, ac cum gudio perferrimus, quia agnoscimus, quod spem novæ felicitatis nobis afferat.

*Probatur pars altera.* Vehementia volupatis, qua re luget in objecto, quandōque ita rapit animum, itaque intellectum occupat, ut motum absterrens, aut planè non, aut certè imperfecte tantum intelle-

Etui repræsentetur: ergo concupiscentia affect quandoque dispendium libertati; ad hanc enim requiritur, ut objecti, tum bonitas, tum malitia, sufficienter voluntati proponatur.

## §. III.

## De involuntario ob defectum cognitionis.

S U M M A R I A.

1. Ignorantia est absentia cognitionis vera de statu objecti.
2. Ignorantia culpabilis dicitur, qua potest ac debet vinci; inculpabilis, qua aut non potest, aut non debet vinci.
3. Ignorantia inculpabilis, das quandoque res ipsam actum, quandoque nude comitans et cum.
4. Ignorantia culpabilis est vel affectata, vel non affectata, seu negligens.
5. Inconsiderantia est omissione investigationis tante, quanta communiter ab hominibus causia adhiberi solet. Habet quandoque conjunctam culpam, quandoque non.
6. Ad omnem actum malum requiritur quadam advertentiam ad malitiam objecti.
7. Actus, elicitus cum inadvertentia ad malitiam objecti, rametis imbibit malitiam physicam, non ramen moralium.
8. Ut actus, procedens ex inadvertentia, impunitus possit ad culparum, debet procedere dictam de obligacione inquirendi in specie objecti.
9. Actus, procedens ex ignorantia inculpabilis, das etiam actum, per se loquendo, est simpliciter involuntarius.
10. Actus, procedens ex ignorantia inculpabilis concomitante, non est simpliciter involuntarius.
11. Actus, procedens ex ignorantia inculpabilis capi comitante, est non voluntarius.
12. Quam ignorantia inculpabilis non facit malitiae operationis, sive ansecundae actionis, sive complicitetur.
13. Actus, procedens ex ignorantia culpabili affectata, est simpliciter voluntarius.
14. Actus, procedens ex ignorantia culpabili non affectata; licet certo respectu sit involuntarius; impunitus ramen potest ad culparum.

**E**Gimus de involuntario, cui fundamentum substernit defectus principii intrinseci. Proximum est, ut agamus de involuntario, cui occasionem præbet defectus cognitionis, sive ignorantia, quæ in genere definiatur, quod sit absentia cognitionis vera de statu objecti. Nimirum ad omnem actum voluntatis requiritur quædam notitia de statu objecti, quia voluntas est potentia, per se planè cœca; adeoque nisi cognitione quædam illustretur ac exciteretur, mouere se non potest, sed, velut tenebris circumsepta, ignava torpet.

Dividitur ignorantia in culpabilem & inculpabilem. Culpabilis dicitur, quæ potest ac debet vinci. Inculpabilis, quæ aut non potest, aut non debet vinci. Unde advertis, ad ignorantiam culpabilem duo requiri. I. ut possit vinci; si eniim superari nequeat, impunitati non potest ad culparum; alioquin tenetemur ad aliquid impossibile; nempe ad vincendam ignorantiam, quæ non potest vinci. II. ut debeat vinci; si enim

vinci non debeat, licet possit vinci, imputari non potest ad culpam; cum radix desit, ob quam imputetur.

Ignorantia inculpabilis dat quandoque causam actui, quandoque non ad comitatur actum. Illa antecedens: haec concomitans salutatur. Actui causam dare dicitur, quando, sublatâ ignorantia, actus secuturus non fuisset: ut si occidam hominem, prudenter existimans, esse feram, non interfectorus, si credidissem esse hominem. Comitari actum dicitur, quando, etiam sublatâ ignorantia, actus fuisset secuturus: ut si occidam Titum, prudenter existimans esse feram, interfectorus, licet scivissem esse Titum.

Ignorantia culpabilis disrumpitur in affectata & non affectata. 4  
Affectata dicitur, cum studio non inquirimus in statum objecti, ne veritas cognita ab operatione nos deterreat. Non affectata, seu negligens, cum ex merâ negligentia & socordia non inquirimus in circumstantias & statum objecti, in quem debemus inquirere. Ut ecce! venationis gratia in sylvam me confero. In dumeto, forte obvio, video se movere aliquid, ignorans, homo, an fera lateat. In statu objecti studio non inquiremus, si forte intelligam, latere hominem, à venatione deterrear. Ignorantia haec dicitur affectata. Quod si ex merâ socordia in circumstantias & statum objecti inquirere prætermittam, ignorantia dicitur negligens.

5  
Ignorantia frequenter oritur ex inconsiderantiâ, quæ definitur, quod sit omissio investigationis tantæ, quanta communiter ab hominibus cautis adhiberi solet. Dividitur in culpabilem & inculpabilem. Culpabilis est omissio voluntaria investigationis debitæ. Inculpabilis est omissio involuntaria investigationis debitæ. Hactenus viam nobis munivimus ad principia, quæ recto nunc ordine subnectimus.

## PRINCIPIUM I.

**A** omnem actum malum requiritur quædam advertentia ad malitiam objecti.

*Probatur.* Omnis actus malus debet esse voluntarius; quia actus necessarius est in capax malitia moralis: ergo ad omnem actum malum requiritur quædam advertentia ad malitiam objecti; quia malitia, nullo modo cognita, non potest esse voluntaria. *Confirmatur.* Quando maius actus objecti ne quidem per modum suspicionis, aut dubii pullat animum,

respectu hominis perinde se habet, atque si non esset: ergo, licet objectum sit malitia infectum, hanc tamen refundere non potest in actum, si cognitio malitiae deficiat. *Promovetur argumentum.* Implicat, actum respectu mei esse malum, si cognitio malitiae sit mihi impossibilis. At si nullo modo advertam ad malitiam objecti, cognitio malitiae est mihi impossibilis; quia implicat, cognosci à me circumstantiam objecti, cuius nullà specie intellectus meus excitatur ad cognoscendum: ergo implicant, cum plenâ inadvertentiâ state malitiam operationis.

### PRINCIPIUM II.

**A**ctus, elicitus cum inadvertentiâ ad malitiam objecti, tametsi imbibat malitiam physicam; non tamen moralem, sive talem, quæ imputari ad culpam possit.

*Probatur membrum primum.* Objectum non exuit naturam suam, licet malitia, quam imbibit, à me non cognoscatur: homicidium enim redundat in perniciem proximi, ac dedecet dignitatem naturæ nostræ, licet ad malitiam hanc intellectus meus non attendat: ergo non obstante inadvertentiâ meâ, actus retinet malitiam physicam.

*Probatur membrum secundum.* Nemo dixerit, dignum esse vituperio ac peccata, qui operatur male, nec tamen advertit, se male agere; quia nemo dixerit, malitiam involuntariam esse dignam vituperio: ergo actus, procedens ex inadvertentiâ, non imbibit malitiam moralem.

*Confirmatur.* Quando damnum infertur ab amente, infertur sine malitia morali; quia actio necessaria est incapax malitiae moralis: ergo etiam, quando damnum infertur ab eo, qui planè non agnoscit rationem damni, infertur sine malitia morali; quia actio, sine omni notitia latens malitiae elicita, est incapax malitiae moralis.

### PRINCIPIUM III.

**U**t actus, procedens ex inadvertentia, imputari possit ad culpam, debet procedere dictamen de obligatione inquirendi in statum objecti.

*Probatur.* Qui operatur ex inadvertentia, non cognoscit malitiæ objecti; hæc enim cognitio per inadvertentiam formaliter excluditur: ergo ab objecto non potest in actum refundi malitia: ergo si quam malitiam actus contineat, ideo continet, quia datur obligatio inquirendi in statum

*statum objecti.* At obligationem hanc sine omni culpa transgredior, si per nullam cognitionem mihi proponantur; quia transgressio involunta-  
ria est incapax culpe: ergo ut actus, procedens ex inadvertentiâ, impu-  
tari possit ad culpam, præcedere debet dictamen de obligatione inquiren-  
di in statum objecti. *Confirmatur.* Ignorantia, quæ ex obligatione de-  
bet vinci, non potest hoc modo vinci, si obligatio nullo modo cognosca-  
tur; quia à voluntate non potest adhiberi conatus, ad ignorantiam ex  
debito vincendam, si ratio debiti animum nullo modo subeat. Sed  
ignorantia, quæ non potest vinci, imputari nequit ad culpam; quia ni-  
hil necessarium imputari potest ad culpam: ergo si obligatio vincendi  
ignorantiam nullo modo cognoscatur, ignorantia non potest imputari  
ad culpam. *Promovetur argumentum.* Damnum inferre ex causâ inter-  
missæ inquisitionis debitæ, est objectum per se malum: ergo ut malitia  
hæc imputari possit ad culpam, debet cognosci; quia nihil involuntari-  
um imputari potest ad culpam. At nisi obligatio inquirendi in statum  
objecti intentem subeat, malitia ignorantie non potest cognosci; quia  
formalis transgressio obligationis essentialiter supponit notitiam obliga-  
tionis: ergo ut malitia ignorantie imputari possit ad culpam, obligatio  
inquirendi in statum objecti debet cognosci.

#### PRINCIPIUM IV.

**A**ctus, procedens ex ignorantia inculpabili, dante causam auctui, est 2  
simpliciter involuntarius.

*Probatur.* Quando interficio amicum, inculpabiliter existimans,  
esse feram, circumstantiam homicidii ex unâ parte planè non agnosco;  
ex alterâ vero parte, si veritatem rescam, dolore & tristitia corripior;  
doleo enim & lamentor, quod infortunato iactu amicum interfecerim: er-  
go signum est, homicidium tale esse mihi simpliciter involuntarium, quia  
ita procedit ex ignorantia, ut penitus aduersetur inclinationi voluntatis  
meæ.

#### PRINCIPIUM V.

**A**ctus, procedens ex ignorantia inculpabili concomitante, non est 10  
simpliciter involuntarius.

*Probatur.* Quando interficio inimicum, inculpabiliter existimans  
esse

esse feram, circumstantia homicidii non est contra inclinationem voluntatis meæ; quia, veritate cognitâ, non doleo de actu, sed lator potius, quod fortunato iectu inimicum straverim: ergo homicidium tale non est simpliciter involuntarium.

### PRINCIPIUM VI.

**A**ctus, procedens ex ignorantiâ inculpabili concomitante, dicens est, *non voluntarius*.

*Probatur.* Quando interficio inimicum, inculpabiliter existimans, esse feram, circumstantia homicidii ex unâ parte non est simpliciter mihi involuntaria, quia non repugnat inclinationi voluntatis meæ; ex alterâ vero parte etiam non est voluntaria, quia nihil volitum, nisi præcognitum: ergo de homicidio tali rectè nego, quod sit voluntarium: ergo rectè affirmo, quod sit *non voluntarium*.

### PRINCIPIUM VII.

**C**um ignorantia inculpabili non stat malitia operationis, sive antecedat actum, sive comitetur.

*Probatur.* Implicat, actum esse malum, si malitia nullo modo sit voluntaria. Sed quando inculpabiliter ignoro, actum esse malum, malitia nullo modo est voluntaria. Non in se: quia nihil volitum, nisi præcognitum. Non etiam in mea ignorantia: hanc enim, ut suppone, vincere aut non potui, aut non debui: ergo implicat, cum ignorantia tali stare malitiam operationis. *Confirmatur.* Quando operor cum ignorantia culpabili, malitia ideo imputatur mihi ad culpam, quia licet non sit volita in se; est tamen volita in suâ causâ, puta in ignorantia, aut sororâ, quam non excusi, cum possem ac deberem: ergo si ignorantia sit inculpabilis, non potest imputari mihi ad culpam.

### PRINCIPIUM VIII.

**A**ctus, procedens ex ignorantia culpabili affectata, est simpliciter voluntarius.

*Probatur.* Qui operatur ex ignorantia affectata, ipsam ignorantiam voluntariè amplectitur; hanc enim ideo affectat, ne per malitiam, in objecto cognitam, ab operatione retrahatur: ergo in ipsâ ignorantia

censetur velle damnum. Qui enim directè vult causam, censetur quoque virtute, ac indirectè velle effectum, qui per se ex causâ illâ sequitur. *Confirmatur.* Qui eo fine ignorantiam affectat, ne per cognitionem latentis malitiae ab operatione retrahatur, non aversatur simpliciter nocumentum alterius; sed nocumentum illud tantum, quod procedit ex scientia actionis damnosæ; ideo enim affectat ignorantiam, ne damnum scilicet inferat: ergo damno secuto, non habet, cur doleat; obtinuit enim finem suum, quia damnum ignorans dedit.

## PRINCIPIUM IX.

**A**ctus, procedens ex ignorantia culpabilis non affectata; licet certo respectu sit involuntarius, imputari tamen potest ad culpam.

*Probatur membrum primum.* Qui ex socordia non inquirit in statum objecti, damno secuto, dolet non minus de sua ignorantia, quam de latrone alterius: ergo illa & ista certo respectu est involuntaria, quia ex displicentiâ sublecente, tanquam ex mensurâ, colligitur involuntarium antecedens.

*Probatur membrum secundum.* Qui ex socordia non inquirit in statum objecti, directè vult ipsam socordiam, seu omissionem investigationis debitæ: ergo indirectè censetur velle id omne, quod cum socordia per se connexionem habet: ergo si, propter obligationem excutientia socordia, ipsa omissio investigationis debitæ imputatur ad culpam, imputabitur quoque ignorantia, quam secum trahit, ac damnum, quod inde sequitur.

## §. IV.

### De Libertate.

#### S U M M A R I A.

1. Secundò requiritur ad actionem moralem, ut sit libera: viter ostenditur.
2. Libertas in actu primo est potentia, qua possum omnibus ad agendum requisitis, est indifferens ad agendum, & non agendum.
3. Dari libertatem, prædicto modo definitam, bre-
4. Actus liber procedere debet à potestib; completa, & proximè expedite ad eligendum unius ex duobus oppositis.
5. Infantes, furiosi, mente capti, ebrii, & somno oppressi, libertate non gaudent.

**S**ecundò requiritur ad actionem moralem, ut sit libera: nam actio necessaria, quemadmodum est incapax honestatis, sic quoque justitiae. Vocabulo operationis libera non designatur hoc loco actio, à nexu obligatio-

ligationis, aut coactione immunis; sed actio, quæ à principio suo proximo ita procedit, ut potuisset non procedere.

<sup>2</sup> Considerari potest libertas in actu, vel primo, vel secundo. Considerata in actu primo definitur, quod sit potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis, est indifferens ad agendum, & non agendum. Spectata in actu secundo definitur, quod sit operatio voluntatis, à principio suo proximo & completo ita procedens, ut potuisset non procedere.

<sup>3</sup> Dari libertatem, predicto modo definitam, non solum edicta Fidei definiunt, sed manifestâ quoque ratione convincitur. Quisquis enim sensu communi utitur, in se ipso perspicue advertit, quod dominium in operationes suas obtineat, ac pro arbitrio agere hoc, vel illud possit. Deinde, multas operationes laude, multas vituperio dignas censemus; quæ censura supponit libertatem illorum actuum, quia actionem necessariam nemo prudens laude, vel vituperio cumulaverit. Quis enim, quæ so! solem laudibus exornet, quod luce suâ terras illustret? Quis mur i justâ indignatione succenseat, quod nocivo dente arrodat caescum? Adhuc, de negotiis, passim occurrentibus, anxie consulamus. Inani sanè operâ, si voluntas nostra non sit actuum suorum domina. Denique, adhortationibus & preemiis, velut admotis calcaribus, ad præclarissima quæque homines incitantur. Supervacanè profectò industria, si facta illustria arbitrium nostrum effugiant.

<sup>4</sup> Ut actus prærogativam libertatis imbibat, procedere debet à potentia completa, ac proximè expeditâ ad eligendum unum ex duobus oppositis. Plura verò concurrent, necesse est, ut potentia predicto modo sit completa. I. ut cognitio indifferens voluntati præluceat, talis videlicheret, à quâ objecti tum bonitas, tum malitia, atque adeò, motivum alliciens, & retrahens voluntati repræsentetur. Sola bonitas si appareat, voluntas motu necessario in amore in rapitur, quia toto naturali pondere fertur in bonum. II. ut voluntas ad recipiendum unum & alterum ex actibus oppositis sit indifferens: si ad unum sit determinata, libertate non gaudet; quia actus liber, utpote vitalis, exigit immorari potentiaz, à quâ procedit; adeoque si recipere hæc nequeat, nisi unum actum, produceret quoque non potest, nisi unum actum. III. ut potentia activo concur-

concursu in actum influat: ageretur enim, non ageret voluntas, adeoque neque laude, aut virtutio digna esset, si motum, à principio libero impressum, putissimè reciperet. IV. denique, ut concursus causa primit voluntati lenocinetur: ea enim est imbecillitas naturæ nostræ, ut absque Numinis auxilio nihil possit. Cave tamen, libertatem humam causæ primæ ira mancipes, ut omni jure suo privatam, æternis vinculis constringas.

Ad exercitium libertatis requiritur perfectus rationis usus, quia requiritur cognitio, quâ objecti tum bonitas, tum malitia ad Lydium lapidem rectâ rationis expendatur; quo munere sine perfecto rationis usu fungi nequeas. Hinc infantes, furiosi, mente capti, ebrii, & somno oppressi, libertate non gaudent. Nam infantes quod attinet, ante annum septimum, judicio Medicorum, intellectus noster non solet esse tam defœcatus, ut bonum à malo secerne sufficenter possit. Hinc nisi magna indicia præcocitatem ingenii comineudent, actiones infanticum non censentur libere à libertate, quæ ad honestatem, vel inhonestatem sufficit. Furiosi, mente capti, ebrii, à humorum intemperie laborant, ut nequeant licitum ab illico secernere. Denique somno oppressi, tametsi variarum rerum figuris deludantur, ac, erudiente Morpheo, ingeniosè quandoque delirent; libertate tamen carent: partim, quia somnis excuso, detestamur quandoque imagines, quas effrons Morpheus animo objeccerat: partim, quia videoas, urgente somnotorum corpus prosterni, membra omnia languore dissolvi, officia sensuum habescere, ac propemodum ad conditionem brutorum nos reduci; in quo naturæ deliquio plenas vires rationi ac libertati constare, nemo persuaserit.

## §. V.

*De Regula proximâ honestæ operationis: Ubi de  
usu opinionis probabilis.*

## SUMMARIA.

1. Tertiò requiritur ad actionem moralē, ut sit elicita cum adversariâ ad regulam honestatius.
2. Regula honestatis est vel proxima vel remota.
3. Proxima sit in dictamine recta rationis, quo censet intellectus, bene, vel illam actionem esse honestam, aut turpem.
4. Actus labores malitiam gravissimè dictamin rationes enunctis, graviter disperdere Deo; levius vero, si enuncias, tantum leviter disperdere Deo.

5. Malitia obiecti quandoque plenè à nobis adver-  
tetur, quandoque semiplè tamen.
6. Dictamen practicum procedere solet judicium  
speculatorum de statu obiecti: quod quan-  
dóque certum, quandoque verò pñile, quan-  
dóque errónum.
7. Certeudo est prærogativa, virtute cuius actus  
tamen necessitate connectitur cum statu objec-  
ti, ut vi connexionis formido omnia de op-  
posito excludatur.
8. Opinio est actus, quo assentimur obiecto cum  
formidine oppositi.
9. Opinio probabilis est, qua nütur motivo gravi  
& prudenti, cùrta certitudinem.
10. Opinio intrinsecè probabilis est, qua nütur  
ratione gravi.
11. Opinio extrinsecè probabilis dicitur, quam de-  
fendit author, omni exceptione maior. Vbi  
declaratur, quis censorius Author omni  
exceptione maior.
12. Inter opiniones probabiles tutior illa dicitur,  
qua stat pro obligatione & lege contra liber-  
tatem.
13. Opinio non probabilis est, qua licet operè non  
sit falsa, nullo tamen, aut levi fundamento  
nütur.
14. Opinio improbabilis dicitur, qua colorem veri  
quidem praesert; impingit tamen in princi-  
pium certum.
15. Ex duabus contradictionibus, si una sit certa, al-  
tera est certò falsa.
16. Ex duabus contradictionibus, si una sit certa, al-  
tera non potest esse probabilis.
17. Ex duabus contradictionibus, si una sit certa, al-  
tera non potest nisi fundamento gravi.
18. Ex duabus contradictionibus, si una sit certa, al-  
tera non potest esse probabilis ab extrinseco.
19. Judicium erroneum est actus, quo inselle-  
ctus alter de obiecto judicas, quam status  
eius exigas.
20. Omnen actum honestam procedere debet di-  
ctamen practicum de honestate obiecti.
21. Etiam actum in honestum procedere debet di-  
ctamen practicum de honestate obiecti.
22. Dictamen practicum, quod proximè anteced-  
dit actu honestum, non potest esse errone-  
um, sed debet esse verum.
23. Dictamen practicum, quod proximè anteced-  
dit actu honestum, non solum debet esse
- verum, sed certum & evidens.
24. Licet dictamen erroneous non possit esse regula  
proxima honesta operationis, non minus tan-  
tem obligat, ne agamus contra dictamen  
eius, quam dictum verum.
25. Judicium, culpabiliter erroneous, non tan-  
tem obligat, ne agamus contra dictamen  
eius; sed etiam, ut agamus juxta dictamen  
eius.
26. Judicium, culpabiliter erroneous, non obli-  
gat determinatè, ut agamus iuxta dicta-  
men eius.
27. Judicium, culpabiliter erroneous, si non de-  
ponatur, obligat ut sequatur dictamen eius.
28. Alius, procedens ex iudicio, culpabiliter erro-  
neum quod perseverat, non laborat in honestate  
propriæ, sed malus dicitur per denoniationem  
extrinsecam.
29. Ut operatio labore gravi malitia, non sufficiat  
malitiam obiecti confusè tantum, & in ge-  
nere cognosci, sed requiritur cognitio sales,  
vi cuius vel ipsa gravitas malitia, vel pa-  
riculum eius clare cognoscatur.
30. Neque cum advertentia semiplena ad gravi-  
rem malitiam obiecti, stat gravis malitia  
humana operationis.
31. Nè quidem malitia levius consurgere potest, nisi  
quidam in honestas obiecti plene cognoscatur.
32. Cum notitia genericā obiecti mali, tamen  
non sit gravis malitia operationis, stat ta-  
men malitia levius.
33. Quavis opinio, certò probabilis, fundat di-  
ctamen evidens de honestate operationis.
34. In conflictu opinionum, non tenetur sequi  
opinionem tutiorem, qua stat pro lege con-  
tra libertatem.
35. Absolutè, quavis opinio, certò probabilis, fun-  
das dictamen evidens de honestate opera-  
tionis, esto sententia contraria reputetur pro-  
babiliter.
36. Etiam opinio, ab extrinseco certò probabilis,  
fundas dictamen evidens de honestate ope-  
rationis.
37. Etiam unicus author conciliat sententia pro-  
babilitatem extrinsecam, si sit omnis exceptio-  
ne maior.
38. Non quavis opinio, speculatorū probabili-  
bus reduci potest ad præmix.
39. Opinio, speculatorū probabili, totios redaci

non potest ad præximam, quosies aut obligatio  
urgere, inquirendi melius in statum obiecti,  
aut usus opinionis, per votum, juramentum,  
aut principium simile restringitur.

40. **Judex** non potest ascendere merita minora,  
neglegit̄ maioribus.

41. **Medicus** non potest adhibere medicinam, mi-  
nus securam, relictâ certiora.

42. Ob ius, solum probabile, nisi non possim com-

pensatione sacidā.

43. Regi non licet ob ius solus probabile bellum  
fuscipere.

44. Omnis opinio, speculatoriū probabilitatis, reduci  
potest ad præximum si usus ejus per nullum prin-  
cipium reflexum interdiscatur.

45. Quando opinio aliqua damnatur ab Ecclesia,  
tanquam adversa bonis moribus, non ma-  
net amplius probabilitatis.

**T**ertiò requiritur ad actionem moralem, ut sit elicita cum adverten-  
tiâ rationis ad regulam honestatis: nisi enim honestas objecti cognoscatur, non potest esse voluntaria, cùm nihil volitum, nisi præcognitum.

Regula honestatis duplex occurrit, proxima & remota. Proxi-  
ma stat in dictamine rectæ rationis, quo censet intellectus, hoc, vel illud  
objectum esse honestum, aut inhonestum, adeoque amplectendum, aut  
fugiendum. Regula remota & suprema stat in voluntate Dei. De  
utraq[ue] regulâ deinceps agemus.

Regula proxima itaque honestæ operationis stat in dictamine re-  
ctæ rationis, quo censet intellectus, hanc vel illam actionem esse hone-  
stam, aut turpem, eoque nomine amplectendam, aut fugiendam. Est  
nimirum cœca voluntas nostra, ac ad nullum objectum determinata;  
sed ad bonum & malum indifferens: ergo face indiget, à quâ illustrer-  
tur, & regulâ, à quâ in operationibus suis dirigatur. Hanc facem ve-  
rò & regulam suppeditat recta ratio, quæ definit bonitatem & maliti-  
am objecti, definitam, velut in speculo, voluntati exhibet, simûlque dicti-  
tat, quid agere, quid non agere expediat. Dictamen hoc rationis alio  
nomine *Conscientia* salutatur, quam suo supra loco definivimus, quod  
sit judicium practicum, enuntians, hanc, vel illam actionem esse hone-  
stam, aut turpem, eoque nomine amplectendam, aut fugiendam. Huic  
dictamini si voluntas actionem suam attemperet, elicit actum bonum:  
si non attemperet, actum malum.

Actus malus laborat quandóque malitiâ gravi, quandóque levi.  
Gravi, si dictamen rectæ rationis enuntiet, actum graviter displicere Deo,  
sub interminatione videlicet summæ miseria. Levi, si dictamen rectæ  
rationis enuntiet, actum leviter tantum displicere Deo, sub intermina-  
tione videlicet pecunia alterius, quam æternæ. Unde advertis, actionis

humanæ, tum bonitatem, tum malitiam, & malitiam tum gravem, curia levem defumi à prævio dictamine rectæ rationis, tanquam à mensurâ & regulâ: si enim recta ratio definiat, objectum secundum omnes circumstantias esse honestum, actus, in id directus, bonus dicitur. Si enuntiet, objectum vel totum, vel ex parte esse inhonestum, actus, in id directus, malus salutatur. Similiter, si recta ratio definiat, objectum substatre prohibitioni gravi, in actum derivatur malitia gravis: Si enuntiet, objectum prohibitione levi circumscripsum esse, in actum refunditur malitia levis.

Ceterum, malitiam objecti quandóque plenè advertimus, quandóque semiplenè tantum. Plenè, si dishonestas objecti perspicuâ luce intellectum nostrum feriat. Semiplenè, si dishonestas objecti obscurè tantum, neque clarius à nobis cognoscatur, quam cognosci solet à semebrio, aut illo, cuius animus à fugiente somno adhuc caligat. Quemadmodum enim in crepusculo illo rationis formare non possumus perfectum judicium de statu objecti, nec plenè advertete ad malitiam actionis nostræ: sic in statu vigiliæ quoque frequenter accidit, ut incepti planè reddamur ad objectum contemplandum; vel quia impensè distracti sumus ad objecta alia; vel, quia affectuum intemperie agitamus: iræ enim vehementiæ, æstu amoris, pondere tristitiae, ita quandóque absorbetur animus, itaque obtundit intellectus, ut iners plane reddatur ad statum objecti econsiderandum.

Dictamini practico de honestate operationis prælucere solet judicium speculativum de statu objecti. Ut enim prudenter censem, rem emptam honestè à me retineri, judicare debeo, quod venditor jus habuerit eius distraherendæ arg. l. 109. ff. De V. S. Hoc judicium antecedens est quandóque certum, quandóque verosimile, quandóque erroneum.

Certitudo est prærogativa, virtute cuius actus tantâ necessitate connectitur cum statu objecti, quem enuntiat, ut vi connexionis omnis formido oppositi excludatur. Per certitudinem itaque excluditur formido oppositi, quia intellectus cum tantâ pertinaciâ adhæret objecto, ut implicitè, ac virtute censem, non posse rem aliter se habere. Hinc repugnat, intellectum de objecto esse certum, ac perstringi simul formidine

dine oppositi; quia repugnat, intellectum cum tantâ firmitate adhædere  
objecto, ut censeat, rem non posse aliter se habere, ac simul formidine  
concuti, ne forte aliter se habeat.

Opinio in genere est actus, quo assentimur objecto cum formidine  
oppositi. Is igitur, qui opinione ducitur, adhæret quidem objecto,  
non tamen cum firmitate, excludente formidinem oppositi; sed ita, ut  
cum assensu, quem objecto præstat, sit suspicio de falsitate objecti: ac  
tamen si ratio suspicandi de facto forte non occurrat; si tamen motivum  
opinionis suæ reflexè expenderet, adverteret, id esse fallibile.

Dividitur opinio in probabilem, non probabilem, & improbabili-  
lem. Opinio probabilis est, quæ nititur motivo gravi & prudenti, ci-  
tra certitudinem. Unde advertis, duo requiri ad opinionem proba-  
bilem. I. ut nitatur motivo gravi & prudenti, tali videlicet, quo vir cor-  
datus & prudens moveri posuit ad assensum. II. ut incertitudine labo-  
ret: si enim nitatur principio certo, transgreditur probabilitatis termi-  
nos, ac scientiæ naturam induit.

Probabilitas duplex occurrit, intrinseca, & extrinseca. Intrinseca 10  
desumitur à ratione gravi; adeoque opinio intrinsecè probabilis illa dici-  
tur, quæ nititur ratione gravi; tali videlicet, quæ vir cordatus & pru-  
dens moveri potest ad assensum, non obstantibus motivis, quæ de fa-  
cto occurruunt in contrarium. Censetur autem motivum tale, quod  
eam præferat veritatis speciem, ut plerūmque non fallat; atque adeò;  
quod vim movendi habet tam eximiam, ut præponderet motivis, quæ  
falsitatem & errorem plerūmque invehunt.

Probabilitas extrinseca desumitur ab authoritate; adeoque opinio, 11  
ab extrinseco probabilis, illa dicitur, quam defendit author probatæ si-  
dei, sive omni exceptione maior. Plura verò concurrant, necesse est,  
ut in censem hunc quis pertineat. I. ut non doceat contra principium  
certum: nam opinioni, aperte improbabili, authoritatem conciliare fru-  
stra tenes. II. ut non ducatur fundamento levi, sophistico, aut æqui-  
voco; quia motivis levibus, ac momento vacuis, opinioni pondus nun-  
quam adjeceris. III. ut in toto doctrinæ suæ apparatu judicium sanum  
ac defecatum præferat; adeoque in tentativas novas & paradoxas  
non pugiat, neque facile opiniones amplectatur, crebriore aliorum ju-  
dicio

dicio temerarias: contra talē enim stat præsumptio, quod illi etiam opinioni, quā legimus, temerariā quadā fiduciā, ac ex intemperie quadam ingenii calculum suum adjecerit. IV. denique, ut merita utriusque causæ diligenter examinet, ac rationes pro unā & alterā sententiā ad severā disquisitionis trutinam appendat: neque enim præsumere possis, sanum ac prudens judicium ab eo fuisse latum, de quo non constat, quod merita utriusque causæ diligenter expenderit. Hinc ii, qui merissimas summas scribunt, autoritatem extrinsecam sententiis non conciliant, quia fundamenta utriusque partis non ponderant; adeoque meritō dubites, an vim intimam causæ penetraverint. Planè, si is author summam conscribat, de quo constat ex libris aliis, quod eximiz sapientiæ, ac præclaræ doctrinæ laude floreat, elogio probatæ authoritatis dignum esse, non negavero; quia pro tali gravis stat præsumptio, quod sententias omnes maturo iudicio ponderaverit. Sed neque illos Authores oīnni exceptione maiores dixeris, qui libros collectaneos conscribunt, ac non tam legibus, quām allegationibus utrāque implent paginam: partim, quia sententias sub examen non vocant: partim, quia merces, non tam proprias, quām alienas veniales exhibent; quibus proinde maiorem autoritatem non conciliaunt, quām tabernæ alienæ conciliet merus institutor. Illos quoque accensere nequeas maiorum gentium Authoribus, qui definitiones, decisiones, observationes practicas, vel alios supparis farinæ libros confarcinant: partim, quia opinionum momenta ad maturi iudicij lineam non exigunt: partim, quia scrinia alicetum plerūque excutiunt, ac, tanquam diffidant iudicio proprio, autoritate alienā potius, quām suā nituntur; ut meritō dubites, an non in censum eorum pertineant, qui alias more pecudum sequuntur. Planè, si aliunde constet, quod præclaris scriptis nomen suum prōspere eruditōrum memoriaz ac æternitati consecraverint; vel si appareat, quod etiam peram propriam excutiāt, ac opiniones, ex aliis depromptas, novo rationum, aut legum apparatu mutant, nos existimem, scriptoribus proletariis accensendos esse. Confer. P. Cardenas par. 1. Cris. Theolog. disp. 11. & par. 3. disp. 57. ubi de probabilitate extrinsecā copiosè, solide, ac eruditè differit.

12 Sunt, qui censeant, ex opinionibus probabilibus unām esse tutiārem alterā. Tutiorem vocant, quā stat pro obligatione & lega contra

libertatem. Minus tuta, quæ militat pro libertate contra legem. Ut ecce! altercanuntur Autiores, an testamentum, solennitatibus destitutum, pariat obligationem in foro animæ? Sententia una & altera est probabilis. Sunt tamen, qui affirmantivam, quæ stat pro obligatione & lege, rutiorem assertant, eoque nomine amplectendam censeant: sive enim ex testamento tali consurgat obligatio, sive non, securè agis, si legata, codem relictæ, præstes. Contra, si in opinionem diversam abeas, ac censeas, legatum non esse præstandum, non videris securè agere: cum enim sit probabile, obligationem esse natam, periculo te exponis, obligationis huius violandæ. Sed bene, an male hi discurrant, ex principiis, quæ subiectemus, patebit.

Hactenus de opinione probabili. Opinio non probabilis dicitur, quæ, licet falsi speciem aperte non præferat; nullo tamen, aut levi fundamento nititur: ut si absque gravi fundamento, adeoque temerè censem, à Titio commissum esse homicidium. Conveniunt opinio probabilis, & non probabilis, quod utraque incertitudinem aboret. Discrepant vero, quia opinio probabilis nititur fundamento gravi: non probabilis, aut nullo, aut levi tantum. Hinc omnis opinio non probabilis sapit naturam judicii temerarii, quia, qui opinatur ex motivo levi, reus est temeritatis.

Opinio improbabili dicitur, quæ colorem veri præfert quidem, impingit tamen in principium certum. Sic y. g. est improbabile, usuras, merè lucratorias, est honestas: tametsi enī colores non deficiant, quibus inumbretur; impingit tamen in principium certum, quia certò constat, jure Divino & Canonico esse prohibitas. Ex iis, quæ de opinionum diversâ indole hucusque attuli, elicio sequentes regulas.

### REGULA I.

**E**X duabus contradictoriis, si una sit certa, altera est certò falsa.

**P**robatur, Ex duabus contradictoriis, si una sit vera, altera est certò falsa; quia implicat, duas contradictorias simul esse veras, cum repugnet; idem simul esse, & non esse; in quo principio fundatur omnis contradictionis: ergo etiam, ex duabus contradictoriis, si una sit certa, altera erit certò falsa: si enim non esset certò falsa, posset esse vera, adeoque duæ contradictoriæ possent simul esse veræ; quod repugnat.

## REGULA II.

**E**X duabus contradictoriis, si una sit certa, altera non potest esse probabilis.

*Probatur.* Ex duabus contradictoriis, si una sit certa, altera est certò falsa. Sed nullum probabile potest esse certò falso, quia omne probabile est incertum, adeoque capax veritatis & falsitatis: ergo ex duabus contradictoriis, si una sit certa, altera non potest esse probabilis.

## REGULA III.

**E**X duabus contradictoriis, si una sit certa, altera non potest nisi fundamento gravi.

*Probatur.* Implicat, propositionem evidenter falsam nisi fundamento gravi, quia implicat, propositionem, evidenter falsam, esse probabilem; ergo propositio, directè opposita propositioni certæ, non potest nisi fundamento gravi, quia ceteroquin propositio, evidenter falsa, niteretur fundamento gravi.

## REGULA IV.

**E**X duabus contradictoriis, si una sit certa, altera non potest esse probabilis ab extrinseco.

*Probatur.* Ut opinio sit probabilis ab extrinseco, debet nisi auctoritate, quæ sit omni exceptione maior. Sed implicat, propositionem, evidenter falsam, nisi auctoritate, quæ sit omni exceptione maior; quia auctoritas, subnixa principio, evidenter falso, non potest esse omni exceptione maior: ergo implicat, propositionem, evidenter falsam, esse probabilem ab extrinseco. *Confirmatur.* Ut sententia sit probabilis ab extrinseco, debet Author, à quo defenditur, esse omni exceptione maior. Sed non potest esse omni exceptione maior, si defendat sententiam, certò falso; quia, ut sit omni exceptione maior, debet duci fundamento gravi, quo non potest nisi sententia certò falsa: ergo sententia, certò falsa, non potest esse probabilis ab extrinseco. *Promovetur argumentum.* In tantum sententia censetur probabilis ab extrinseco, in quantum ex auctoritate Viri docti & præclarri magna præsumptio nascitur, sententiam nisi fundamento gravi. Sed præsumptio hæc non potest nasci, si opinio, quam vir sapiens defendit, sit certò falsa; quia est impossible,

possibile, ut sententia, evidenter falsa, nitatur fundamento gravi: ergo opinio, certo falsa, non potest esse probabilis ab extirpato.

Judicium erroneum est actus, quo intellectus aliter de objecto judecat, quam status eius exigat. Dividitur error in culpabilem & inculpabilem. Culpabilis est, qui potest, ac debet excuti. Inculpabilis, qui aut non potest, aut non debet excuti. Haec tenus materiam paravimus structuræ, quam molimur. Ipsi nunc operi accingimur, ac fundamenta solidâ compage struimus. Sit proinde

### PRINCIPIUM I.

**O**mne actum honestum præcedere debet dictamen practicum de honestate objecti, atque adeò judicium, quod objectum secundum omnes circumstantias sit honestum.

*Probatur.* Ut actu voluntario prosequar objectum honestum, præcedere debet ratio definiens, ac determinans honestatem objecti: nisi enim intelligam, quid in hac, vel illâ circumstantiâ honestati congruat, non possum voluntariè amplecti honestatem objecti, cum nihil volunt, nisi præcognitum: ergo omnem actum honestum præcedere debet ratio definies honestatem objecti atque adeò judicium practicum de honestate objecti.

### PRINCIPIUM II.

**E**tiam actum inhonestum præcedere debet dictamen practicum de honestate objecti.

*Probatur.* Actum honestum præcedere debet dictamen practicum de honestate objecti: ergo etiam actum inhonestum: Ut enim liberè agam inhonestè, in actu primo proximo debeo expeditus esse ad operationem honestam. Sed ad hanc non possum proximè expeditus esse, nisi præcedat judicium practicum de honestate objecti: ergo neque ad illam possum proximè expeditus esse, nisi præcedat judicium practicum de honestate objecti.

### PRINCIPIUM III.

**D**ictamen practicum, quod proximè antecedit actum honestum, non potest esse erroneum, sed debet esse verum.

*Probatur.* Regula proxima honestæ operationis debet esse actus

Prudentiæ; quia omnem operationem honestam præcedere debet ratio definiens honestatem objecti, atque adeò dictamen Prudentiæ. Sed iudicium erroneum non potest esse actus Prudentiæ: hæc enim, tanquam virtus potentiarum intellectivarum, debet intellectum disponere ad optimum, atque adeò debet infallibiliter attingere veritatem objecti: ergo judicium erroneum non potest esse regula proxima honestæ operationis. *Confirmatur.* Repugnat, actum esse conformem suæ regulæ, & tamen deflectere à normâ honestatis; quia repugnat, actum esse conformem suæ regulæ, seu cognitioni dirigenti, & non esse conformem: ergo repugnat, iudicium, quo inculpabiliter censeo, tyrannum licite à me occidi, esse falsum & erroneum. Si enim falsitatem imbiberet, tunc ideo, quia occidio tyranni, quam pronuntiat honestam, non est honesta. Sed repugnat, non esse honestam, si cognitione dirigens pronuntiet honestam; quia repugnat, actum, conformem suæ regulæ, aberrare à suâ regulâ: ergo repugnat, memoratum iudicium esse falsum & erroneum.

#### PRINCIPIUM IV.

**D**ictamen practicum, quod proximè antecedit actum honestum, non solum debet esse verum, sed certum & evidens.

*Probatur.* Si dictamen practicum de honestate operationis non esset evidens, pateretur formidinem oppositi, adeoque componi posset cum hoc actus: *fortè opus, quod aggredior, Deo displicer.* Sed operarium tali formidine evidenter est illicitum; quia voluntariè amplecti periculum offendit Divinæ, evidenter est illicitum: ergo dictamen practicum, antecedens operationem honestam, debet esse certum & evidens. *Confirmatur.* Qui voluntariè amplectitur periculum peccati, peccat: amat enim periculum, adeoque peribit in illo. Sed qui operatur sine dictamine evidente pratico de honestate operationis, voluntariè amplectitur periculum peccati; quia cum nudâ opinione de honestate operationis stat formido in honestæ operationis, atque adeò periculum in honestæ operationis; quod periculum operans voluntariè amplectitur: ergo peccat. Certè, qui operatur cum formidine in honestæ operationis, non curat malitiam in honestæ operationis, sed implicitè est paratus, ac resolutus ad operationem etiam in honestam: ita enim tacitè & virtute secum differit. *Hanc actionem, censco honestam: quod si forte sit*

*Ita prohibita, id non curio.* Sed animo tali operari, evidenter est inhonestum ; quia operari , vilipensā prohibitione legis, manifestum sapit contemptum legis, adeoque manifestè est illicitum : ergo operari cum formidine dishonestæ operationis, manifestè est dishonestum. *Promovetur argumentum.* Ut honestè operer, cavere teneor, quantum possum, periculum int' honestæ operationis. At , nisi operationem præcedat judicium evidens de honestate operationis, sufficienter non caveo periculum dishonestæ operationis : ergo ut honestè operer , præcedere debet judicium evidens de honestate operationis.

### PRINCIPIUM V.

**I**cet judicium erroneum non possit esse regula proxima honestæ operationis ; non minùs tamen obligat, ne agamus contra dictamen eius, quām judicium verum de honestate operationis.

*Probatur.* Qui per errorem existimat, vitæ propriæ defendendæ gratiâ, non posse injustum invasorem occidi, & judicio hoc non obstante, invasorem perimit, non minùs perversè agit, quām si cœdes talis re ipsâ esset prohibita ; quia voluntas nostra fertur in objectum, non secundūm illum statum, quem in se continet, sed quem sortitur in mente nostrâ ; adeoque si intellectus repræsentet objectum , tanquam dishonestum , voluntas quoque fertur in objectum, tanquam dishonestum : ergo judicium erroneum non minùs obligat, ne agamus contra dictamen eius, quām judicium verum de honestate operationis.

### PRINCIPIUM VI.

**J**udicium, inculpabiliter erroneum , non tantum obligat, ne agamus contra dictamen eius, sed etiam , ut opcremur juxta dictamen eius.

*Probatur.* Judicium , inculpabiliter erroneum , obligat, ne agamus contra dictamen eius: ergo etiam , ut agamus juxta dictamen eius. Si enim inculpabiliter existimem , quod proximi juvandi gratiâ, teneat surripere res alienas, eatenus non ago contra dictamen judicij huius, quatenus surripio res alienas. Similiter , si inculpabiliter existimem , quod conjugi petenti , salvâ honestate, non possum præstare officia conjugii , eatenus non ago contra dictamen judicij huius, quatenus postulanti nego obsequia conjugii: ergo ; si judicium, inculpabiliter erroneum , obli-

gat, ne agamus contra dictamen eius, obstringit quoque, ut agamus juxta dictamen eius.

### PRINCIPIUM VII.

**26** **J**UDICIUM, CULPABILITER ERRONEUM, NON OBLIGAT DETERMINATE, UT AGAMUS JUXTA DICTAMEN EIUS.

*Probatur.* Qui culpabiliter existimat, quod, proximi juvandi gratia, teneatur surripere res alienas, voluntarie, ac temere format sibi regulam honestæ operationis, contrariam regulæ supremæ omnis honestatis: ergo tenetur errorem excutere, quia potest excutere, cum ignorantia, quâ laborat, sit voluntaria & culpabilis: ergo dictamen judicij sui erronei sequi determinate non tenetur.

### PRINCIPIUM VIII.

**27** **J**UDICIUM, CULPABILITER ERRONEUM, SI NON DEPONATUR, OBLIGAT, UT SEQUAMUR DICTAMEN EIUS.

*Probatur.* Judicium, culpabiliter erroneum, si perseveret, obligat, ne agamus contra dictamen eius: ergo etiam, ut agamus juxta dictamen eius. nam, ut ante disserebam, eatus non operamur contra dictamen judicij erronei, quatenus agimus, vel non agimus, quod proponit nobis tanquam præceptum, aut prohibitum: ergo hoc ipso, quod obligat, ne agamus contra dictamen eius, obstringit simul, ut agamus juxta dictamen eius. *Conformatur.* Judicium, culpabiliter erroneum, proponit nobis actionem, tanquam præcepram, aut prohibitam: ergo si non deponatur, tenetur sequi præceptum, quod nobis exhibet, tanquam obligatorium: quia omne præceptum, in actu secundo & proximè, eatus nos obligat, quatenus per dictamen rationis, tanquam per internum præconem, nobis proponitur.

### PRINCIPIUM IX.

**28** **A**CUS, PROCEDENS EX JUDICIO, CULPABILITER ERRONEO, NON LABORAT IN HONESTATE PROPRIÆ, SED MALUS DICITUR PER DENOMINATIONEM EXTRINSECAM.

*Probatur.* Stante judicio erroneo, proximè non sum liber ad operationem honestam; quia, si agam contra dictamen eius, honestè non operor: si vero agam juxta dictamen eius, rursus honestè non operor,

cum operatio talis ob ignorantiam culpabilem, ex qua procedit, imputatur ad culpam: ergo actus, procedens ex judicio, culpabiliter erroneo, quod perseverat, non laborat in honestate propriâ quia actus, destitutus libertate, est incapax in honestatis propriæ. *Confirmatur.* Ut in honeste agam, debeo posse honeste agere; quia nisi in actu proximo sum expeditus ad operationem bonam & malam, non sum liber ad operationem bonam & malam. Sed stante judicio, culpabiliter erroneo, non possum honeste agere; quia, sive sequar dictamen eius, sive non; honeste non operor: ergo stante judicio, culpabiliter erroneo, non possum in honeste agere: Unde, quando operor ex judicio, culpabiliter erroneo, malitia formalis, & interna stat tota in eo, quod retineam, nec deponam judicium culpabiliter erroneous, cum possem, ac deberem: ipsa verò actio mala dicitur per denominationem extrinsecam, ideo videbitur, quia procedit ex ignorantia malâ & culpabili.

### PRINCIPIUM X.

**U**T operatio laboret gravi malitia, non sufficit, malitiam objecti confusè tantum, & in genere cognosci, sed requiritur cognitio talis, vi cuius vel ipsa gravitas malitiae, vel periculum eius, clara ac perspicue representetur.

*Probatur.* Ut gravis malitia objecti refundatur in actum, debet gravitas objecti mali, vel in se, vel in periculo cognosci; quia, si neque uno, neque altero modo cognoscatur, non potest esse voluntaria, cum nihil volunt, nisi praecognitum: ergo ut operatio laboret gravi malitia, non sufficit, objectum malum confusè tantum, ac in genere cognosci, sed requiritur cognitio talis, vi cuius vel ipsa gravitas objecti mali, vel periculum eius perspicue representetur. *Confirmatur.* Ut operatio laboret gravi malitia, procedere debet dictamen evidens de gravi in honestate objecti: ergo cu notitia confusa & generica objecti mali, non stat gravis malitia operationis, quia non stat dictamen evidens de gravi in honestate objecti. *Promovetur argumentum.* Cum notitia confusa objecti mali, neque stat operatio graviter in honesta, neque periculum operationis graviter in honesta; quia repugnat, confusere vel operationem graviter in honestam, vel periculum operationis graviter in honesta, si gravitas objecti in honesti nequidem per modum suspicionis mentem subeat: ergo actio, exercita cum

ta cum notitiâ solum confusâ objecti inhonesti, ex nullo capite laborare potest gravi malitiâ.

### PRINCIPIUM XI.

**3<sup>o</sup>** **N**eque cum advertentiâ semiplenâ ad gravem malitiam objecti stat gravis malitia humanæ operationis.

*Probatur.* Cum advertentiâ semiplenâ ad gravem malitiam objecti, non stat dictamen evidens de gravi inhonestate objecti : ergo cum advertentiâ semiplenâ non stat gravis malitia humanæ operationis.

*Confirmatur.* Ut actus laborete gravi malitiâ, debet esse perfectè humanus, adeoque voluntarius, liber, ac elicitus cum advertentiâ ad gravem malitiam objecti: non enim expediebat, propter actum, imperfectè humanum, summâ miseriâ nos dignos reddi: ergo cum advertentiâ semiplenâ ad gravem malitiâ objecti non stat gravis malitia operationis; quia non stat perfecta libertas; cum actus, procedens ex advertentiâ semiplenâ, non sit plenè deliberatus, atque adeò nec perfectè liber.

### PRINCIPIUM XII.

**3<sup>1</sup>** **N**e quidem malitia levis consurgere potest, nisi quadam inhonestas objecti plenè cognoscatur.

*Probatur.* Ut consurgat malitia levis, præcedere debet dictamen evidens de quadam inhonestate objecti : ergo ut consurgat malitia levis, debet in objecto malitia, ut sic, clarè cognosci; quia sine cognitione hac non posset formari dictamen evidens de inhonestate objecti.

### PRINCIPIUM XIII.

**3<sup>2</sup>** **C**um notitiâ confusa & genericâ objecti mali, tametsi non sit gravis malitia operationis; stat tamen malitia levis.

*Probatur.* Non potest dari cognitio confusa objecti, quia aliquod prædicatum clarè & perspicue repræsentetur; quia absolute non potest dari ulla cognitio objecti, nisi aliquod prædicatum ita repræsentetur, ut vi apparentiæ possimus de illo rationem reddere, ac objectum discernere ab alio distincto; ergo etiam, non potest dari cognitio confusa objecti mali, quin malitia, ut sic, clarè & distinctè cognoscatur; quia absolute non potest dari ulla cognitio objecti mali, nisi malitia ita repræsentetur, ut vi apparentiæ possimus de illâ rationem reddere, ac objectum malum di-

scernere à non malo. Sed clara cognitio malitia, ut sic, evidenter sufficit ad malitiam levem operationis; non verò ad gravē, quia gravitas malitia cā claritate tunc non cognoscitur, ut formari possit dictamen evidens de gravi inhonestate objecti: ergo cum notitiā confusā & genericā objecti mali, tametsi non sit gravis malitia operationis, stat tamen malitia levis.

### PRINCIPIUM XIV.

**Q**uævis opinio, certò probabilis, fundat dictamen evidens de honestate operationis, atque adeò sufficit ad honestè agendum in quævis materiâ. 35

*Probatur.* Qui operatur prudenter, honestè operatur; quia nullus actus, directus à Prudentiâ, potest esse inhonestus, cùm evidenter repugnet, actum, directum à Prudentiâ, laborare imprudentiâ. Sed qui sequitur opinionem, certò probabilem, operatur prudenter; quia operatur ex motivo gravi & prudenti, cùm sit de substantiâ opinionis probabilis, niti motivo gravi & prudenti: ergo honestè operatur. *Confirmatur.* Judicium, certò probabile, fundat sequens dictamen: *Honestè operatur, qui operatur ex motivo gravi & prudenti.* Sed dictamen hoc est certum & evidens; quia repugnat, actum, suffultum motivo gravi & prudenti, atque adeò directum à virtute Prudentiæ, esse imprudentem: ergo judicium, certò probabile, fundat dictamen evidens de honestate operationis. *Promovetur argumentum.* Judicium, inculpabiliter erroneum, fundat dictamen evidens de honestate operationis: ergo etiam, judicium certò probabile. Ideo enim judicium, inculpabiliter erroneum, fundat dictamen evidens de honestate operationis, quia ipso lumine naturæ videtur evidens, me honestè operari, si inculpabiliter existimem, operationem meam esse honestam, ac invincibiliter ignorem motiva contraria, quorum notitiâ inflesteret ad errorem deponendum: ergo etiam, judicium certò probabile fundat dictamen evidens de honestate operationis; quia ipso lumine naturæ videtur evidens, me honestè operari, si prudentissimè censeam, operationem meam esse honestam, ac invincibiliter ignorem motiva contraria, quorū notitiâ inflesteret ad fessendum judiciū, quod opinio, quam censeo probabilē, non sit probabilis.

### PRINCIPIUM XV.

**I**n conflictu opinionum non tenemus sequi opinionem tutiorem, quæ stat pro lege contra libertatem. 34

*Probatur.* Si in conflictu opinionum teneremur sequi opinionem tuiorem, quæ stat pro obligatione contra libertatem, obstringeremur ad aliquid impossibile. Consequens evidenter est absurdum: ergo & principium, unde sequitur. Ut vim argumenti huius penetres, assumo tritissimam controversiam, quâ in certamen adducitur, an legatum, in testamento imperfecto relictum, ab herede legitimo in foro animæ sit præstandum? Sententia una & altera egregiis fundamentis est instracta; ut tuo loco videbimus. Fac jam, in testamento tali adscriptum esse Titio legatum, ac mihi hereditatem obvenisse titulo successionis ab intestato. Si partem tuiorem sequi teneat, ut tu contendis, præstare debeo legatum, Titio relictum: hæc enim opinio stat pro obligatione contra libertatem. At etiam Titius amplecti tenet partem tuiorem; quia in conflictu opinionum, te judice, semper eligenda pars tutior: ergo teneatur non acceptare legatum sibi relictum; hæc enim opinio stat pro obligatione contra libertatem, adeoque est tutior respectu Titii: ergo teneat legatum præstare illi, qui salvâ conscientiâ non potest id recipere, atque adeo teneat legatum præstare nemini; quod evidenter est chymæcum.

### PRINCIPIUM XVI.

35 **A**bsolutè, quævis opinio, certo probabilis, fundat dictamen evidens de honestate operationis, esto sententia contraria reputetur probabilior.

*Probatur I.* Probabilitas unius sententiaz non tollitur per probabilitatem maiorem sententiaz oppositaz; quia, excessu probabilitatis non obstante, manet, sententiam minus probabilem nisi motivo, quod plerumque non fallit; atque adeo motivo, quo vir gravis prudenter moveri potest ad assensum: ergo, dum sequor sententiam probabilem, reliqua probabiliore, manifeste prudenter operor, quia operor ex motivo, quo vir gravis prudenter inflecti potest ad assensum.

*Probatur II.* Quivis homo, jure naturæ, est plenus ac perfectus operationum suarum dominus; adeoque titulo naturalis libertatis exercere potest quemvis actum, certo jure non prohibitum: foret enim evidenter absurdum, usum & exercitium juris certi restringi per prohibitionem incertam: ergo titulus naturalis libertatis exercere possit quemvis

vix actum, quem probabiliter censeo honestum, quia formare mihi possum dictamen evidens, actum certo jure non esse prohibitum: sic enim discutere mecum possum. Implicat dari jus certum prohibens, si sic probabile, nullum dari jus prohibens; quia implicat, unum membrura contradictionis esse probabile, si oppositum sit certum. Sed est certò probabile, actionem hanc esse honestam: ergo est evidens, certo jure non esse prohibitam; quia implicat, actionem, probabiliter honestam, certo jure esse prohibitam. *Confirmatur.* Esto sit probabilius, dari jus prohibens, non tamen est certum, dari jus prohibens; quia nuda probabilitas non invehit certitudinem, cum omnis probabilitas essentialiter secum trahat formidinem oppositi: ergo si probabiliter censem, actionem esse mihi licita, evidenter est licita; quia jure naturalis libertatis evidenter exercere possum quemvis actum, jure certo non prohibitum. *Prómovetur argumentum.* Dum non certò constat, dari jus prohibens, maneo in possessione certà libertatis naturalis; quia evidenter esset absurdum, possessioni certæ prævalere jus dubium: ergo, dum non certò constat, dari jus prohibens, jure naturalis libertatis evidenter exercere possum actum, quem probabiliter censeo honestum; quia apertissimè foret absurdum, usum & exercitium juris certi restringi per prohibitio-nem incertam.

*Probatur III.* Lex, sufficienter non promulgata, evidenter non obligat; quia non potest, tanquam regula moralis, proximè dirigere actiones meas, si sufficienter mihi non sit proposita. Sed dum formo judicium certò probabile de honestate operationis, lex, obligans in oppositum, sufficienter mihi non est proposita; quia repugnat, viva legis sufficienter mihi innotescere, si prudenter censem, non dari legem in oppositum; atque aded; si legem dari in oppositum ita ignorem, ut certitudinem legis nullo conatu, nullaque industriâ possim assequi: ergo dum formo judicium certò probabile de honestate operationis, lex, statim pro inhonestate operationis, evidenter me non obligat. *Confirmatur.* Esto sit probabilius, dari præceptum, non tamen est certum, dari præceptum; quia sola probabilitas præcepti non infert certitudinem præcepti: ergo evidenter colligo, non dari præceptum; quia sine sufficiente promulgatione vanum & futile est præceptum; & cum absolutâ certitudine præcepti non stat sufficiens promulgatio præcepti.

*Probatur. IV.* Lex, quæ ex unâ parte non est necessaria ad conservationem humani generis; ex alterâ verò parte onus intolerabile secum trahit; ac occasionem præbet, moraliter certam, frequentissimis peccatis formalibus, evidenter exorbitat à naturâ legis: hæc enim debet esse accommodata imbecillitati hominum, ac plus commodi, quam incommodi afferre Reipublicæ, pro quâ fertur. Sed lex de sectandâ opinione probabiliore, ex unâ parte non est necessaria ad conservationem humani generis; ex alterâ verò parte traheret secum onus intolerabile, ac occasionem præberet, moraliter certam, frequentissimis peccatis formalibus: si enim scirent homines, ad sectanda probabiliora se obstringi, orto dubio, tenerentur laboriosè inquirere in momenta utriusque cause; tuncque ingens sit ingenii humani imbecillitas, inevitabiliter inciderent in summas anxietates & perplexitates; adeoque plerique, ob molestiam oneris, annexâque incommoda, animum desponderent; quin etiam, cognito meritorum excessu, ob nimiam acerbitudinem, ac duritiam sententiaz, nollent sequi partem probabiliorem: ergo &c.

### PRINCIPIUM XVII.

*3. 6.* **E**Tiam opinio, ab extrinseco certo probabilis, fundat dictamen evidens de honestate operationis; adeoque sufficit ad honestè operandum in quavis materiâ.

*Probatur.* Qui sequitur sententiam, quam tenent Authores, omni exceptione maiores, prudenter operatur; quia prudenter censet, sententiam talem nisi motivo gravi & prudenti; cum authores, omni exceptione maiores, non defendant, nisi sententias, quæ nituntur motivo gravi & prudenti: ergo opinio, ab autoritate certo probabilis, fundat dictamen evidens de honestate operationis. *Confirmatur.* Authoritas, omni exceptione maior, fundat sequens dictamen: *Honestè operatur, qui sequitur opinionem, de qua moraliter est certus, quod nitatur motivo gravi & prudenti.* Sed dictamen hoc est certum & evidens; quia evidenter honestè operatur, qui operatur cum morali certitudine, quod operacioni suffragetur gravis & prudens ratio: ergo authoritas, omni exceptione maior, fundat dictamen evidens de honestate operationis.

**PRINCIPIUM XVIII.**

**E**tiam unicus Author conciliat sententiaz probabilitatem extrinsecam, si fidei sit inconcussa, ac omni exceptione maior. 37

*Probatur.* Etiam unius viri inconcussa authoritas inducit presumpcionem fortissimam, quod sententia nitatur motivo gravi & prudenti: quia Authores, omni exceptione maiores, non defendunt, nisi sententias, quae nituntur motivo gravi & prudenti: ergo etiam unicus Author conciliat sententiaz probabilitatem extrinsecam, si fidei sit inconcussa, ac omni exceptione maior.

**PRINCIPIUM XIX.**

**N**on quævis opinio, speculativè probabilis, reduci potest ad praxin. 38

*Probatur.* Quando voto, juramento, aut pacto me obstringo, quod in quavis materiâ sequi velim sententiam, maiore probabilitate conspicuum, non possum honestè amplecti sententiam minus probabilem; quia juramentum tale obligat, adeoque usum sententiaz, minus probabilis, reddit mihi inhonestum: ergo non quævis opinio, speculativè probabilis, reduci potest ad praxin.

**PRINCIPIUM XX.**

**O**pinio, speculativè probabilis, toties reduci non potest ad praxin, 39 quoties aut obligatio urget, inquirendi melius in veritatem & statum objecti; aut usus opinionis per votum, juramentum, pactum, præceptum vel principium simile redditur inhonestus.

*Probatur.* Quando in dumero video se movere aliquid, esto speculativè censem probabile, latere feram; hanc opinionem tamen honestè non possum sequi; quia obligatio tunc urget, inquirendi melius in statum objecti, ne temerè me exponam periculo injustæ occisionis. Similiter, quando juramento, aut pacto me obstringo, quod in quavis materiâ sequi velim opinionem probabiliorem, non possum honestè amplecti sententiam minus probabilem; quia usus eius per juramentum redditur mihi inhonestus: ergo opinio, cuius usus per principium reflexum coeretur, non potest reduci ad praxin.

Hinc varia colligi possunt pro praxi. Sic v. g. judex, dum fert sententiam, non potest attendere merita minora, neglectis maioribus, esto

unam & alteram causam censeat probabilem; quia à Republica eō patēto censetur evēctus fuisse ad munus judicis, ut justitiam omni meliore modo promoyeret.

41 Sic quoque Medicus non potest adhibere medicinam, quam censem minūs securam, reliquā certiore; quia eā conditione censetur fuisse vocatus ab ægroto, ut in delectu mediorum fugeret incertitudinem, ac securiora sectaretur.

42 Sic etiam, ob jus solum probabile non possum tacitā compensatione uti; quia jus certum, quod alter obtinet in bonis suis, evidenter præponderat juri meo incerto; adeoque probabilitas opinionis meæ non potest esse practica, ac ad usum reduci; quia obsistit principium, jure naturæ certum & evidens, nempe, ob jus incertum non posse inferri damnum certum.

43 Si neque Regi licet ob jus, solum probabile, bellum suscipere, quia ageret contra principium, jure naturæ certum, nempe, quod injuria incerta plechi nequeat pœnâ certâ.

44 Unde advertis, non quamvis opinionem probabilem ad usum reduci posse; atque adeò, non quamvis opinionem, speculativè probabilem, esse practicè probabilem. Sic, licet judex merita utriusque litigantis censeat probabilia; est tamen improbabile, quod attendere possit merita minoria, neglectis maioribus, quia est improbabile, quod contravenire possit contractui, quem habet cum Republicâ. Sic quoque, licet Medicus remedium hoc & illud censeat salutare; est tamen improbabile, quod certiori præferre possit minūs certum, quia est improbabile, quod contravenire possit conditioni tacitæ, sub quâ vocatus fuit ab ægroto. Sic etiam, licet censem probabile, quod Titius centum mihi debeat; est tamen improbabile, quod obtentu juris huius uti possum tacitā compensatione, quia est improbabile, quod ob jus incertum inferre possim damnum certum. Sic denique, licet Rex censeat probabile, injuriam sibi illatam esse; est tamen improbabile, quod obtentu hoc suscipere possit bellum, quia est improbabile, quod injuriam incertam plechere possit pœnâ certâ. Hæc, quia non intellexit Prosper Faganus, ea effutuit ad cap. 5. De const. quæ etiam dupondius castiget.

## PRINCIPIUM XXI.

**Q**uando opinio aliqua damnatur ab Ecclesiâ, tanquam adversa bonis 45 moribus, non manet deinceps probabilis.

*Probatnr.* Repugnat, opinionem certò falsam nisi motivo gravi & prudenti, atque adeò esse probabilem. Sed opinio, quam reprobat Ecclesia tanquam adversam bonis moribus, est certò falsa; quia repugnat, in materiâ fidei, aut morum Ecclesiam errare: ergo repugnat, opinionem, quam reprobat Ecclesia, tanquam adversam bonis moribus, manere probabilem. *Confirmatur.* Repugnat, Ecclesiam non esse sanctam, quia in symbolo fidei appellatur sancta: ergo repugnat, mores inhonestos approbari ab Ecclesiâ tanquam honestos, vel honestos reprobari tanquam inhonestos, quia cum approbatione, vel reprobatione tali non staret professio, ac doctrina sancta. *Promovetur argumentum.* Repugnat, Ecclesiam non esse bene ordinatam, quia repugnat, Christum Dominum non satis prospexit esse Ecclesiaz. At, si mores inhonestos approbare posset tanquam honestos, vel honestos reprobare tanquam inhonestos, non esset bene ordinata, quia consequi non posset finem, à Christo intentum: finis enim, à Christo intentus, stat in sanctitate internâ hominum; quem finem impediret universale periculum errandi in materiâ fidei, aut morum; quiâ cum hæresi, aut improbitate morum non consistit sanctitas interna hominum: ergo regugnat, mores inhonestos approbari ab Ecclesiâ tanquam honestos, vel honestos reprobari tanquam inhonestos; atque adeò repugnat, opinionem, quam Ecclesia damnat, tanquam adversam bonis moribus, manere probabilem. *Confer.* P. Cárdenas par. I. Cris. Theolog. disp. 9. per totam, ubi fusè & solidè argumentum hoc exequitur.

## §. VI.

## Liceatne operari cum dubio?

## SUMMARIA.

1. *Dubium est fluctatio potentia intellectiva inter utrāque pâtem contradictionis, ob deficuum sufficientis motivi.*
2. *Qui dubitat, neutrî parti adharet; qui opinatur, uni extremo adharet.*
3. *Dubium est vel positivum, vel negativum.*
4. *Veritatem est vel dubium iuris, vel fatti.*
5. *Dubium iuris est vel speculatorium, vel practicum: & practicum, vel universalis vel particulare.*
6. *Dubium veritatis quandquid circa ipsam legem; quandoque vero circa exemptionem ab obligatione legi.*
7. *Cum dubio speculatorio facit operari, si in dubio prudenter.*

- um practicum non transseat.
3. Dubium speculatorum totius transfe in practicum, quos non succurris sufficiens rasio contempnendi dubium.
  9. Etiam cum dubio pratico generali licet operari, si in dubium particulare non transferat.
  10. Cum dubio pratico particulari nunquam licet operari, si non deponatur.
  11. Possessio in quaevi materia est fundamentum sufficiens ad dubium deponendum.
  12. Quando consurgit dubium de lege latâ, ac dubitatio morali diligentia vincere non posset, restat.
  13. Etiam tunc resolutae certitudo practica de honestate operationis, quando constitutus in circumstantiis, in quibus lex non obligat, dubitare incipit, an reversa sint circumstantiae, in quibus obligat.
  14. Quando habetur certitudo de lege latâ, ac dubium subnactitur, an datur exemptio ab obligatione Legis, tenemur Legi assurgere.
  15. Etiam tunc Legi tenemur assurgere, quando habetur certitudo de lege latâ, ac dubium subnactum, an legi factum sit.

**O**perationem humanam præcedit quandóque dubium, cum quo, anstet honestas operationis, juvat expendere.

Definitur dubium, quod sit fluctuatio potentiae intellectivæ inter utrámque partem contradictionis, ita ut ob defectum sufficientis motivi in neutram partem animus inclinet. Tria ita requiruntur ad dubium. I. ut intellectus de utráque parte contradictionis cogitet: neque enim dicere possis, quod dubitem de objecto, cuius statum planè ignoro; alioquin de facto plenissimus essem dubiis, cùm de facto infinita objecta ignorem. II. ut intellectus neque in unam partem, neque alteram inclinet, sed suspensus velut hæreat, ac vincto similis: si enim uni extremitate assensum præstet, non dubitat de objecto, sed fert judicium. III. denique, ut ob defectum sufficientis motivi neutri parti intellectus adhæreat: si enim, dum cogito de utróque extremitate, distrahar ad negotia alia, nemo dixerit, quod dubitem de extremis.

2 Unde suâ sponte illucescit, quæ differentia dubium ab opinione separat. Qui enim dubitat, neutri parti adhæret, sed inter utrámque incertâ mente fluctuat: qui verò opinatur, uni extremitate assensum præstat. Hinc neque opinio, suffulta ratione gravi, neque subnixa ratione levi sapit dubium; quia, sive de statu objecti prudenter, sive temerè judices, non anceps hæres inter duo extrema, sed uni parti subscribis.

3 Dividitur dubium in positivum, & negativum. Positivum dicitur, quando intellectus inter duo extrema ita fluctuat, ut partem unam & alteram ratio commendet. Negativum, quando intellectus inter duo extrema ideo anceps hæret, quia neque pro unâ, neque pro alterâ parte occurrit ratio. Ut ecce! affirmat Titius, quod Mevius testamentum

tum fecerit : contrarium testatur Sempronius. Anceps hæreo, utri ex duobus fidem præstem. En! dubium positivum. Contra, subsisto, an Titius testamentum fecerit, absque hoc, quod vel pro unâ parte, vel pro alterâ ocurrat ratio. En! dubium negativum.

Dubium, tam positivum, quam negativum, scinditur ulterius in dubium juris & facti. Dubium juris dicitur, quando anceps hæreo, an detur lex permittens, imperans, prohibens, aut irritans? Ut, si dubitem, sitne permisla donatio omnium bonorum? teneatne determinatè traditore rem venditam? sintne usuræ prohibitæ? valeatne testamentum? Dubium facti vocatur, quando anceps hæreo circa factum aliquod, aut circumstantiam facti. Ut si dubitem, solverimne pecunias debitas? sitne testamentum septem signaculis inunitum? compleverimne annum vigesimum quintum? &c.

Dubium juris divellitur ulterius in speculativum & practicum. Speculativum dicitur, quod directè non versatur circa honestatem humanæ operationis, sed circa objectum aliud: ut si dubitem, fueritne equus, quem emi, vendoris? valeatne testamentum, à Titio confectum? Practicum appellatur, quod directè versatur circa honestatem humanæ operationis. Atque hoc est vel universale, vel particulare. Universale, quod honestatem humanæ operationis tantum in genere attingit: ut si dubitem, an damnum, sine culpâ Theologicâ illatum, sit reparandum? sitne præstandum legatum, in testamento imperfecto relictum? Particulare, quod hanc, vel illam actionem in particulari respicit: ut si dubitem, teneatne Titio præstare legatum, in testamento imperfecto eidem adscriptum?

Dubium versatur quandoque circa ipsam legem, & obligationem ejus; quandoque vero circa exemptionem ab obligatione legis. Circa ipsam legem versatur. I. si dubitem, an lex sit lata, vel ad hunc aut illum casum se extendat. II. si constitutus in circumstantiis, in quibus lex non obstringit, dubitem, an revertat sint circumstantiae, in quibus obligat: ut si morbo oppressus, qui excusationem à tutela tribuit, dubitem, an moribus ita jam remiserit, ut onus tutelæ subire teneat. Circa exemptionem ab obligatione Legis versatur dubitum. I. si certus de lege lata, dubitem, an non consuetudine contraria sit sublata; vel, an non

privilegio aliquo contra legem sim munitus. II. si certus de obligatione legis, dubitem, an legi satisfecerit. Lubet jam indulgere veritati, ac indubitate principia de dubio subiectere.

### PRINCIPIUM I.

- 7 **C**Um dubio speculativo licet operari, si in practicum non transeat.  
*Probatur.* Cum dubio speculativo stat dictamen evidens de honestate operationis; quia si speculativè dubitem, an fundus, quem possideo, sit proprius, possum practicè me resolvere, ac evidenter concludere, quòd retinere fundum mihi liceat, propter regulam, quæ edicit, in dubio meliorem esse conditionem possidentis l. 126. S. 2. l. 128. ff. *De R. J. cap. 65. cod. tit. in 6.* ergo cum dubio speculativo licet operari, si in practicum non transeat.

### PRINCIPIUM II.

- 8 **D**Ubium speculativum toties transit in practicum, quoties non succurrit sufficiens ratio contemnendi dubium.

*Probatur.* Qui dubitat, an fundus, quem possidet, sit proprius, nec dubium contemnit, forte, quia ignorat, in dubio meliorem esse conditionem possidentis, necessariò dubitare incipit, an fundum retinere sibi liceat. Sed dubium hoc est practicum; quia directè versatur circa honestatem operationis: ergo dubium speculativum convertitur in practicum, si non succurrat sufficiens ratio contemnendi dubium.

### PRINCIPIUM III.

- 9 **E**tiam cum dubio pratico generali licet operari, si in dubium particolare non transeat.

*Probatur.* Etiam cum dubio pratico generali stat dictamen evidens de honestate operationis; quia si in genere dubitem, an damnum, sine culpâ Theologicâ illatum, sit reparandum? possum practicè me resolvere, ac evidenter concludere, quòd damnum, prædicto modo à me illatum, reparare non tenet; propter dictamen evidens, quòd possessio certa libertatis prævaleat juri dubio: ergo etiam cum dubio pratico generali licet operari, si in dubium particolare non transeat.

### PRINCIPIUM IV.

- 10 **C**Um dubio pratico particulari nunquam licet operari, si non depotatur.

*Probatur.* Ut operatio sit honesta, procedere debet dictamen practicum evidens de honestate operationis. Sed stante dubio pratico particulari, dictamen tale implicat; quia evidentiter repugnat, me dubitate de honestate operationis, ac simul formare judicium evidens de honestate operationis: ergo stante dubio pratico particulari, non licet operari. *Confirmatur.* Qui operatur cum dubio pratico particulari, operatur cum manifesto periculo peccati: ergo manifeste peccat; quia voluntariè amplecti manifestum periculum peccari, est peccatum.

### PRINCIPIUM V.

**P**OSSESSIO in quavis materia est fundamentum sufficiens ad dubium deponendum.

*Probatur.* Jura impensisimè favent possessioni, ac generaliter continent, in dubio meliorem esse conditionem possidentis d. l. 126. §. 2. l. 128. ff. *De R. J. & cap. 65. cod. tit. in 6.* ergo possessio in quavis materia est fundamentum sufficiens ad dubium deponendum. Hinc, si dubitem, liceatne mihi accedere ad eam, cum quā bonā fide contraxi matrimonium, sic tamen, ut iam suspicer, alienum esse; possum practice evidentiter me resolvere, accessum esse mihi licitum; quia in dubio melior conditio possidentis. Similiter, si dubitem, an ex fundo, quem bonā fide emi, sic tamen, ut iam suspicer, alienum esse, fructus percipere mihi liceat; possum practice evidentiter me resolvere quodd liceat; quia in dubio melior conditio possidentis. Neque mirum, possessioni leges tam impensè suffragari: expedit enim Reipublicæ, negotia durare, ac persistere in suo statu, cum omnis mutatio turbationem secum trahat, ac quietem, in quavis communitate summè oprabilem, interpellet.

### PRINCIPIUM VI.

**Q**Uando consurgit dubium de lege latâ, ac adhibitâ morali diligentiâ vinci non potest, resultat certitudo practica de honestate operationis.

*Probatur.* Quando consurgit dubium de lege latâ, ac adhibitâ morali diligentiâ vinci non potest, libertas manet in suâ possessione; quia evidentiter foret iniuriam, possessionem certam per jus dubium everti, ac libertatem certam per obligacionem dubiam constringi. Sed certa possessio

cessio libertatis fundat dictamen evidens de honestate operationis; quia iure naturali libertatis evidenter exercere possum quemvis actum, certi jure non prohibitum: ergo quando consurgit dubitum de lege latâ, ac adhibitâ morali diligentia vinci non potest, resultat certitudo practica de honestate operationis; quia formari potest dictamen evidens de honestate operationis.

### PRINCIPIUM VII.

**E**Tiam tunc resultat certitudo practica de honestate operationis, quando constitutus in circumstantiis, in quibus lex non obligat, dubitare incipio, an reversæ sint circumstantiae, in quibus obligat.

*Probatur.* Quando dubito, an morbus, praestans immunitatem à tutela, ita jam remiserit, ut oris tutelæ subire teneat, maneo in possessione immunitatis: ergo practicè possum concludere, ac evidenter me resolvere, quod tutelam suscipere nondum teneat, propter dictamen evidens, quod certitudo præexistens cessare non debet ob dubium subsequens.

### PRINCIPIUM VIII.

**Q**uando habetur certitudo de lege latâ, ac dubium subnascitur, an debetur exemptio ab obligatione legis, tenemur legi assurgere.

*Probatur.* Quando habetur certitudo de lege latâ, legi, non libertati, suffragatur possesso: ergo tenemur legi assurgere. *Confirmatur.* Exemptio ab obligatione legis est facti: ergo in dubio non præsumitur, sed probari debet arg. l. 2. ff. De prob. ergo, dum non constat de exemptione, intacta manet legis obligatio.

### PRINCIPIUM IX.

**E**Tiam tunc legi tenemur assurgere, quando habetur certitudo de lege latâ, ac dubium fitboritur, an legi satisfactum sit.

*Probatur.* Obligatio certa expungi non potest solutione dubiâ: ergo quando dubito, an legi satisfecerim, teneor etiamnum satisfacere.

### S. VII.

#### De Regula remotâ honestæ operationis.

##### S U M M A R I A.

1. Regula remotæ honestæ operationis est illa ratio, ob quam honestum dicimus.

2. Propter registrationem rei publicæ nostra objectum. 3. Quando actus subfictus præcepto, aut prohibiti-

- iii. regula prima honestatis, vel in honestate est voluntas, virtus propriæ est adequata obligans in conscientia.

4. Nulla creatura potest esse voluntas virtutis propriæ est adequata obligans in conscientia.

5. Exponitur, cur resulteret obligatio in conscientia, si homo homini aliquid promiseret; vel logicas humanas adiunca precipitas aut prohibite.

6. Regula remota est suprema honesta operationis, sciamque fias in voluntate Dei praecepisse, vel prohibente, quando objectum, subsistens pracepero, aut prohibitione, consideremus honestatum, vel traditionem invenientiam.

**H**actenus de regulâ proximâ honestâ operationis. Sequitur de remotâ & supra. Per regulam remotam intelligitur prima ratio, ob quam objectum honestum, vel in honestum dicitur. Neque enim furtum v. g. ideo est in honestum, quia intellectus evanescat in honestum esse; sed contra, ideo intellectus ad judicium hoc decurrit, quia ante omnem cogitationem hominis furtum in honestatem continet. Ita proinde ratio, que ante dictamen nostrâ rationis objecto bonitatem, vel malitiam accersit, regula remotâ honestâ operationis dicitur. De regulâ hac sobrie agemus.

## PRINCIPIUM I.

**Q**uando actus substar præcepto, aut prohibitioni, regula prima honestatis, vel dishonestatis est voluntas, virtute propriæ & adæquata obligans in conscientia.

*Probatur.* Actus, substantia præcepto aut prohibitioni, ideo est honestus, vel dishonestus, quia à dictamine rectæ rationis proponitur tanquam conformis regulæ præcipienti, aut prohibenti: ergo radix prima honestæ, vel dishonestæ actionis stat in regulâ præcipiente, aut prohibente; atque adeò in voluntate, quæ virtute propriâ obligat in conscientia.

## PRINCIPIUM II.

**N**ulla creatura potest esse voluntas, virtute propriâ & adæquatâ, obligans in conscientiâ.

*Probatur.* Nulla creatura potest esse regula prima honestatis; quia regula prima debet essentialiter esse recta; alioquin deficere posset à rectitudine, adeoquē indigeret regulā distinctā aliā, eoque respectu non esset prima: ergo nulla cūcatura potest esse voluntas, virtute propria & adæquata obligans in conscientia, quia voluntas talis foret regula prima honestatis. *Confiratur.* Voluntas, virtute propriā & adæquatā ob-

ligans in conscientiâ, potest actum dignum reddere pœnâ eternâ; ergo supponit potestatem infligendâ pœnæ æternæ; quia vis directiva sine coactivâ vana est ac futilis. At nulla creatura potest infligere pœnam eternam: ergo nulla creatura potest esse voluntas, virtute propriâ & adæquatâ, obligans in conscientiâ. *Promovetur argumentum.* Neque homo singularis, neque tota Respublica potest virtute propriâ & adæquatâ obstringere in conscientia. Non homo singularis: quia obligare moraliter supponit in obligante dominium, ac jus superius. Non etiam Respublica: quia potestas, quam hæc obtinet in cives, provenit à Deo cap. i. 3. ad Roman. ergo dum obligat in conscientiâ, non obligat virtute propriâ: ergo nulla creatura potest virtute propriâ & adæquatâ obstringere in conscientiâ.

### PRINCIPUM III.

**4** Quando objectum ad honestatem & inhonestatem est indifferens, regula remota & suprema honestatis operationis stat in voluntate Dei præcipiente, vel prohibente.

*Probatur.* Seclusâ voluntate Dei, nulla voluntas creata ex virtute pollet, ut actum per se indifferenter, possit præcipere, aut prohibere; quia seclusâ voluntate Dei, omnes homines sunt plane æquales, neque maior occurrit ratio, cur hic potius in illum, quam ille in hunc obtineat imperium: ergo, quando objectum ad honestatem est indifferens, regula remota & suprema honestatis stat in voluntate Dei, præcipiente, vel prohibente. *Confirmatur.* Seclusâ voluntate Dei, non potest consurgere obligatio in conscientiâ: ergo non potest objectum, ad honestatem, vel inhonestatem indifferens, substare præcepto, vel prohibitioni. Certè, si absque voluntate Dei consurgeret obligatio in conscientiâ, proveniret vel à voluntate propriâ, vel alienâ. Neutrum potest dici. Non primum: quia nemo potest sibi ipsi legem dicere, cum lex sit vana ac futilis, quam sine metu pœnæ violare possit, ac transgredi. Non etiam secundum: quia, seclusâ voluntate Dei, nemo hominum est altero superior, cum inspectâ naturâ omnes homines planè sint æquales: ergo nemo potest me obligare in conscientia; quia obligare moraliter supponit in obligante dominium & jus superius. *Promovetur argumentum.* Esto, me alteri sponte subjiciam, ac subjectionem alter accipiet, seclusâ ri-

men voluntate & approbatione Dei, non potest in altero consurgere potestas superior; quia nisi voluntas Dei subjectionem ratam habeat, possum duci poenitentia, ac nolle subesse alteri, cum nemo sibi ipsi possit legem dicere: ergo, seclusa voluntate Dei, non potest in me consurgere obligatio conscientia.

Hinc intelligitur, cur inducatur obligatio in conscientia, si Titio centum promittam, ac Tidus promissionem accepter; quia nimis, dum centum promitto, volo, ut non impletio promissionis Deo displiceat, quam voluntatem Deus acceptat & ratam habet. Hac approbatio Dei si non accederet, non consurgeret obligatio in conscientia; quemadmodum non consurgit, si pactum lege aliqua irritetur, esto efficaciter velim esse obstrictus. Hinc quoque colligitur, cur resulteret obligatio in conscientia, si Legislator humanos actum præcipiat, aut prohibeat; quia nimis Deus voluntatem suam accommodat, ac declarat, id placere sibi, vel displicere, quod iste præcipie vel prohibet.

#### PRINCIPIUM IV.

**R**egula remota & suprema honestatis tunc etiam sita in voluntate Dei, præcipitate, vel prohibente, quando objectum, substantia præcepto, vel prohibitioni, continet honestatem, vel malitiam intrinsecam.

*Probatur.* Divina voluntas essentialiter est prima regula omnishonestatis; quia si pataretur regulam distinctam aliam, non esset essentiam recta, adeoque deficere posset à rectitudine morali; quod evidenter repugnat: ergo Divina voluntas etiam illius honestatis est prima regula, quam intrinsecè objectum continet; quia supremum in quovis genere est mensura & ratio omnium reliquorum. Fateor sane, homicidium, adulterium, ac delicta id genus alia, ita esse mala, ut exigant prohibiri ab Authore naturæ: formaliter tamen ideo sunt mala, quia repugnant primæ regulæ omnis honestatis. Hinc differentia ultima, quæ intercedit inter objecta per se mala, & indifferentia, stat in eo, quod ista sunt prohibita, prohibitione Deo liberâ; illa vero prohibitione naturali, ac Deo non liberâ.

## CAPUT II.

### De Jure Naturæ.

#### SUMMARIA.

1. Lex est proprium iusta actionis principium.
2. Definitur in genere, quod si regula stabilis humanarum actionum, à superiori prescripta.
3. Dividitur in naturalem & positivam.

**E**xaminavimus principia communia actionis justæ. Munus principii proprii lex sustinet; ideo enim actio humana est justa, quia legi congruit. De principio hoc proprio deinceps agemus.

**L**ex in genere definiri potest, quod sit regula stabilis humanarum actionum, à Superiore prescripta, ac sufficienter promulgata.

**D**ividitur in naturalem & positivam. De lege naturæ in praesenti capite, de positiva in sequentibus differemus.

#### S. I.

*Reclame Jus naturæ definatur esse illud, quod natura omnia animalia docuit?*

#### SUMMARIA.

1. Jus naturæ non recte definitur esse illud, quod animalia docuit, sicut etiam animalia docui-
2. Tamen si beatis dirigentes à Læsi aeterno; non tamen à Jure naturæ.
3. Vindicta, in bruto quendam exerceita, non excepit in istud culpa mortuorum.
4. Sunt, querationem beatis afferant: quorum ar-
- gumenta referuntur.
5. Sed mala corporaliter.
6. Diluviorum rationes constare.
7. Jus naturæ etiam non recte definitur esse illud, quod operationes, brutorum & hominibus communica, duicit.

**J**US naturæ à variis variè definitur. Jureconsultus inv. i. §. 3. ff. *De J. & J.* ac ex eo Imperator in princ. h. t. Jus naturæ definitur esse illud, quod natura omnia animalia docuit. Sed hæc definitio si consistat, faciemur, necesse est, dari jus, commune hominibus & brutis; atque adeo, jus etiam in bruto cadere: quæ opinio, tamen si sectatores suo's habeat; à veritatis tramite tamen totò calle deflectit. Nam, ut natura capax sit juris, debet quoque capax esse rationis, libertatis, obligationis, & pœnae. Rationis ideo, ut condiscat statum objecti, ac regulæ dirigentis vim agnoscat. Libertatis ideo, quia actio necessaria non potest substatre juri, cùm frustra id nobis imperetur, aut vetetur, ad quod à naturâ determinati sumus. Obligationis ideo, quia lex omnis obligationem inducit. Pœnae denique ideo, quia omnis prævaricatio digna est pœna.

At

At neque rationis, neque libertatis, neque obligationalis, neque poena  
bruta sunt capacia: ergo neque juris. Deinde, si homini substantient direc-  
tioni legis, possent jus habere contra hancinam; quia si vi legis tene-  
rentur ad actionem aliquam, non possent ab homine impediti. At bruta  
non possunt habere jus contra hominem, quia sunt plenissime sub-  
iecta homini: ergo neque possunt substantare directioni legis.

Equidem fateor, bruta à Lege aeterna dirigi: Deus enim, tanquam  
Author naturæ, etiam creaturæ, ratione carentib[us], principia certarum  
actionum imprimat, ac ad fines suos easdem movet. Hinc, quod pro-  
mulgatio legis præstat creaturæ, rationis usi prædictæ; hoc impressio  
principii activi præstat creature, rationis usi destituta. At, hinc male  
inferas, à Lege naturæ bruta dirigi, quia regulam in se non continent,  
quam in operationibus suis imitentur, cum ad legem aeternam passim  
tantum se habeant, ac ad finem, ab Author naturæ præfixum, non tam  
se ipsa moveant, quam per principium impressum moveantur.

Scio quicunque, exemplis suppetere, exercitum in bruta vindictas; sicut  
præsertim, quando sedata fuerunt humani amoris sterquilino. At non  
ideo in bruta vindicta sœvit, quod culpa & poena meritum in iisdem  
fuerit agnitus; sed ut tollerentur vestigia humanæ pravitatis, ac ne be-  
stæ, flagitiæ superstites, ocurrerent suo foedam memoriam facti turpis in  
mortalibus refricerent, ipsorum aspectu ad tristinæ similes alios invi-  
tarent.

Sunt, qui eò temeritatis provokantur, ut bruta æquare hominibus;  
ac illis & ipsis rationem asserere sustineant. Arguunt illi in hunc mo-  
dum. Bruta agunt propter finem, quia vides, quod mārā sagacitatem  
ūnū sectentur noxia defugiunt: internas affectiones impolitæ oratione  
sibi mituō commimicant: variarum virtutum insignia præferunt;  
canem à fidelitate, elephantem à prudentiâ, leonem à magnanimitate, ci-  
coniam à pietate, columbam à fide conjugali, formicas à prudentia, ani-  
mab[us] alia à prærogativis aliis commendari audias: disciplina præ-  
ferunt, ac varias artes ope humanæ institutionis addiscunt: inter homines distin-  
guunt, ac diuturnis beneficiis edocta, humanarū vocum seculū assequun-  
tur: quæ omnia in brutis animalibus vim rationis videntur evincere.

Sed in malam partem temerario gressu declinant, qui ita arguunt

Si cuius reipublicis penitentias in brutis animalibus suspicias, prærogativas quoque alias, quibus vis intelligendi circumscpta est, in iisdem agnoscas, ac fatearis, necesse est, quod cum delectu agant: quod premiis & suppliciis sint digna: quod formam habcent, molli corporez non affixam: quod denique ad vitam immortalem jus obtineant. Has sequelas verò si admittere non cunderis, quis oceanus foedissimos errores eluat? Quæ antycke circumscrivendæ amplissimæ delictantur sufficiant? Quod pharmacopoliū purgando cerebro sufficiens bellieberum subministrat? Sancte, vel inde perspicue coiligas, bruta ratione delictui, quia semper uniformiter operantur: evidenti argumento, quod naturæ impetum, non rationis ductum sequuntur.

6. *Discutitur contraria: antiqui pigmentorum pro auro venditar, ac ne unicam quidem solidz rationis venalem exhibet.* Primo enim nego, bruta propter finem agere: non enim agnoscunt in objecto rationem finis; sed ab instinctu naturæ, vel reminiscencia, ad certas operationes determinantur, ut consequantur suam, ab Authore naturæ intentum. Nego etiam, fermoris praestantiam brufis corporis; quia voces, quas instinctu naturæ edunt, orationis dignitatem non attingunt. Virtus quoque in bruta non cadit; quia absque delectu agunt: simulachra tamen virtutem in plenisque brutorum speciebus deprehendas. Artes quasdam humanae solo internominis sensuum ministerio addiscunt. Denique inter homines non distinguunt, sed si certe voces, aut signa, sepius recurrant, beneficio fortis remissioientur ad certas operationes determinantur. Uno verbo, vestigia quedam, simulachra, & umbras rationis in brutes reperias; rationem non reperias.

7. *Sunt, qui definitionem, hactenus explosam, sustineri posse censcant, si ita explicetur, ut sensus consurgat, jus naturæ esse illud, quod operationes, bruis & hominibus communes, dirigit.* Sed ne hoc quidem sensu tolerari potest memorata definitio. Nam objecta occurunt, jure naturæ prohibita, à quibus tamen bruta per instinctum naturæ non abhorrent: quia vagum concubitum, ac venetum cum parentibus determinatur jus naturæ; nee tamen ab hisce actibus per instinctum naturæ accipiatur bestiæ. Contra, occurunt objecta alia, jure naturæ precepta, quorum simulachra tamen in brutis non invenias: quia cultum Dei

precipit jus naturæ, nec tamen Reverentia Numinis bestias tangi adver-  
tas. Fareamur itaque ingenuè, in definiendo jure naturæ crassâ Miner-  
vâ usos esse Authores juris nostri, ac vocabulum juris ad instinctum &  
propensionem naturæ insulsâ metaphorâ traxisse.

## §. II.

*Recensentur varie acceptiones Juris naturalis: Probatur existen-  
tia; ac Definitio & Diversio adornatur.*

## S U M M A R I A.

1. *Jus naturæ sumitur primo pro instinctu naturæ, quo ad certas operationes, brutis & hominibus communates, inclinamus.* præcipit enim, aut vegetantur.
2. *Secundò, pro statu, quem, spectatâ naturâ, respetrat, absque hoc tamen, quod recta ratio statum determinet.* Dari jus naturæ, demonstratur.
3. *Tertio pro eo, quod recta ratione valde est con-  
sensuum, absque hoc tamen, quod pra-  
cepit, aut prohibitiō subest.* Jus naturæ, in aliis primo spectatum, est via cognoscendi voluntatem Dei, qua præcipi-  
untur, vel prohibentur nobis ea, qua crea-  
cure rationales, quod sibi sunt consonantes,  
vel discordantes.
4. *Quartò pro regulâ brutorum actionum, qua  
conveniēt, aut differēt natura nostra.* Dividitur jus naturæ in affirmativum & ne-  
gativum: quantum preceptorum differentia  
adornatur.

**A**Nequād definiam jus naturæ, potissimæ acceptiones eius refero; Ne Lector, ambiguitate vocis deceptus, trahatur in errorem. Sumitur itaque variè. I. pro instinctu naturæ, quo ad certas actiones, brutis & hominibus communes, inclinamus. Ita accipitur in d. princ. h. tie. & l. i. S. 3. ff. *De Just. & Jur.* in quibus locis, matis & feminæ conjunc-  
tio, liberorum procreatio, ac educatio referuntur ad jus naturæ. Sed hæc acceptio est valde improoria, quia, ut paulo ante monstravimus, non datur jus, commune hominibus & brutis.

Secundò, sumitur pro statu, quem, spectatâ naturâ, res obtinet; absque hoc tamen, quod recta ratio statum determinet. Hoc sensu libertas, potestas venandi, ac jura id genus alia, revocantur ad jus naturæ: naturam enim si suspectes, quilibet homo liber nascitur; quia ad conditionem servilem recta ratio neminem detrudit. Interim tamen statum hunc natura non determinat, neque præcipit, ut in libertate singuli homines relinquantur; quamvis prohibeat, ne absque justâ causâ, justo-  
que titulo, libertate nostra privemur. Jus hoc naturæ variis nominibus effatur, ac *negativum permisivum*, & *conditionatum* salutatur. Negati-  
vum ideo, quia recta ratio dispositione positivâ objectum non attingit.

Permissivum, quia recta ratio permittit, singulos homines libertate fru-  
Conditionatum denique, quia recta ratio non permittit pure & absolu-  
tè, sed sub tacitâ conditione: *nisi justa causa servitutem suaserit.*

3 Tertiò sumitur pro eo, quod rectæ rationi valde est consentaneum;  
absque hoc tamèn, quod præcepto, aut prohibitioni substet. Hoc sen-  
su successio liberorum in bona parentum refertur ad jus naturæ l. 7. §. 1.  
*ff. Si tab. testam. null. extab.* Tametsi enim recta ratio præcisè non jubeat,  
ut liberi parentibus succedant; rationi tamèn valde videtur consentaneum,  
liberos potius, quam alios parentibus succedere.

4 Quartò sumitur pro regulâ humanarum actionum, quâ ea juben-  
tur, aut verantur, quæ creaturæ rationali, quâ tali, sunt consentanea, aut  
dissentanea. Atque hæc acceptio est propria, & huius loci.

5 Dati jus naturæ, quartò modo acceptum, certum est. Creatura  
rationalis siquidem, hoc ipso, quod sit creatura, superiorem habet, à  
quo gubernetur; & hoc ipso, quod libertate gaudeat, ac defletere in  
malum possit, indiget regulâ, à quâ dirigatur, ac ad ea inflectatur, quæ  
naturæ suæ sunt consentanea. Sed regula illa jus naturæ dicitur: ergo  
datur jus naturæ.

6 Jus naturæ duobus modis spectari potest, in actu primo, & secun-  
do. In actu primo spectatur, si consideretur tanquam lumen, chara-  
ctere indelebili cordibus nostris impressum. In actu secundo vero, si  
consideretur tanquam regula, à quâ in operationibus nostris dirigimur.  
In actu primo spectatum definiri potest, quod sit *via cognoscendi voluntatem Dei*, quâ *precipiuntur nobis ea, quæ creatura rationali, quâ tali, sunt*  
*consentanea, ac prohibentur, quæ eidem sunt dissentanea.* In actu secun-  
do spectatum, definiri potest, quod sit *judicium rectæ rationis, quo manife-*  
*statur nobis voluntas Dei, precipientis ea, quæ creatura rationali, quâ tali,*  
*sunt consentanea, ac prohibentur ea, quæ eidem sunt dissentanea.* Per crea-  
turam rationalem, quâ ralem, in utrâque definitione intelligitur natura,  
ad unum ex necessitate non determinata, sed ratione & voluntate instru-  
cta, ac quæ ad finem suum liberè se ipsam movet. Cum hisce defini-  
tionibus concordat illa, quam tradit Imperator in §. 1. b. s. dum jus na-  
turæ definit esse illud, *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit.*

7 Dividitur jus naturæ in affirmativum, seu præceptivum, & negati-

yum, seu prohibitorum. Præceptivum dicitur, quod præcipit ea, quæ creature rationali, quâ tali, sunt consentanea: qualia sunt, *Deum colere, parentes honore prosequi &c.* Prohibitorum, quod prohibet ea, quæ creature rationali, qua tali, sunt dissentanea: qualia sunt, *Deum contemnere, lectum alienum nefariâ libidine concutere, facultates alienas deprendi &c.* Differt præceptum affirmativum à negativo; quia illud vim obligandi semper quidem retinet, in actu secundo tamen non semper obligat; cùm non semper teneamur eximum cultum Deo exhibere, aut parentes honore prosequi: hoc verò tam ardè obstringit, ut ne minimum quidem momentum temporis assignari possit, quo non actu obstringat; quia nunquam licet innuptas agitare nuptias, corpus proprium infœcunda venere foedare, aut aliud simile flagitiū admittere.

## §. III.

*De causâ efficiente, subiecto, & objecto juris naturalis, Ubique regula trahitur cognoscendi, qua iure natura sint honesta,*  
*qua turpis.*

## S U M M A R I A.

1. Causa efficiens iuri naturali est Author natura.
2. Subiectum iuri busius est omnis & solus homo.
3. Objectum iuri busius sive ea, qua continent intrinsecam honestatem, vel malitiam.
4. Non tandem universalia principia prædicta, sed etiam conculcationes, proximè vel remotè, evidenter tamen, ex iisdem deducit, persicnens ad ius natura.
5. Omnia precepta Decalogi pertinent ad ius natura; excepta Sabbati circumspectio.
6. Propositorum difficultas, unde cognoscere liconem, hoc vel illud objectum iure natura esse honestum, aut in honestum?
7. Id omne est honestum, quod expedit esse licitum: in honestum verò, quod non expedit.
8. Demonstratur honestas busius regula.
9. Ut cognoscatur, iure natura esse aliquid licitum vel illicitum, attendas debes emolumenem universal, quod proveniret ex licentia busius, vel illius actionis.
10. Id expedit licere, in cuius licentiam homines consenserint, si ante omnem causam partitum, ab Autore natura fuisse consulisti, ut de licentia actionis ferrent suffragium.
11. Ut hypothesis procedat, supponendum, de futuro statu nulli hominum confiture, sed spem fortuna prospera, ac metum adversa, responsum omnium penitus aequaliter esse.

**C**ausa efficiens juris naturalis est Author naturæ. Quemadmodum enim immortali caelo duobus grandioribus adamantibus Decalogram olim insculpsit Deus: sic legem naturæ quoque micantissimis radiis, velut scalpro signatorio, immortalibus animarum nostrarum tabulis inscripsit, ac lumen vultus sui super nos signavit Psalm. 4. Sancte, quod jus naturæ authorem aliud non habeat, quam Deum, evincitur ex eo;

quia obstringit omnes homines: ergo non potest esse latum ab hominibus; nemo enim potest se ipsum obligare legaliter; cum omnis lex essentialiter exigat procedere à Superiori aliquo: ergo solus Deus est Author juris huius, quia solus est Superior omni homine.

**2** *Subjectum* juris huius est omnis, & solus homo. Solus ideo, quia, ut supra ostensum, in bruta jus non cadit. Omnis ideo, quia obligatio juris huius fundatur in rectâ ratione, quâ manifestatur nobis voluntas Dei, præcipiens, vel prohibens ea, quæ naturæ rationali, quâ tali, sunt consentanea, vel dissentanea: ergo cum omnis homo, vi naturæ, sit capax rectæ rationis, omnis quoque, vi naturæ, substat legi naturæ. Fautor sanè, infantes, furiosos, mente captos, ac id genus alios, excusationem mereri, si legem naturæ violent; cum vim eius non intelligant in actu primo tamen jure naturæ obstringuntur, hoc ipso, quod pertinet in censem hominum.

**3** *Objectum* juris naturalis constituant ea, quæ continent intrinsecam honestatem, vel malitiam; sive, quæ intellectus & recta ratio apprehendit, tanquam consentanea, aut dissentanea naturæ rationali, seclusâ omni lege positivâ.

**4** Hinc suâ sponte sequitur, non tantum universalissima principia practica, qualia sunt, bonum amore, malum odio dignum esse; sed etiam conclusiones, proximè, vel remorè, evidenter tamen, ex iis deductas, pertinere ad jus naturæ: quia veritas conelusionis continetur in principio; adeoque si principium sit naturæ, conclusio quoque, evidenter ex principio deducta, illuc pertineat, necesse est.

**5** Ex eadem fonte colligitur, omnia præcepta Decalogi pertinere ad jus naturæ; quia ex primis principiis practicis cum tantâ luce fluunt, ut quisvis facile intelligat, quod evidenter, necessariam, ac immutabilem veritatem honestatis, vel malitiae continent. Excipitur circumstantia Sabbati, quæ juri positivo determinationem suam refert in acceptis. Tametsi enim recta ratio dictaret, existimatum Authori naturæ præstandum esse; tempus tamen, vel diem non determinat; quæ determinatio proinde originem suam trahit ex jure positivo.

**6** Sed hic ingens occurrit difficultas, unde cognoscere licet, hoc, vel illud objectum, spectatâ naturâ, esse honestum, vel in honestum, at-

que ad eò, convenire, vel non convenire creature rationali, quà tali? Exempli gratiâ, unde cognoscere licet, cælibatum esse honestum; fornicationem vero, vel usuram lorderem malitiâ? Regulas varias, quas negotio huic elucidando variis afferunt, referre, ac censoria virgulâ perstrin-  
gere & longum nimis, & molestum foret. Mihi, præ omnibus alijs, pla-  
cer regula, quam tradit P. Hennoldus Lib. 1. oper. Theol. trait. 1. cap. 5. con-  
trou. 1. §. 9. n. 3, 5, 1. cui crebris hodie calculis subscrubunt Theologi ca-  
thedrali in Universitate Ingolstadiensi, Dilingenâ & Oenipontanâ. Re-  
gulam hisce verbis reddo.

*Spectatâ naturâ, id omne est honestum, quod expedit esse licitum: in-  
honestum vero, quod non expedit esse licitum, in ordine ad felicem statum  
humanae Republicæ. Similiter, id substat obligationi, quod non tantum ex-  
pedit esse licitum, sed annexam quoque habere obligacionem. Rursum, id  
laborat in honestate gravi, quod expedit graviter esse prohibitum: levius vero,  
quod expedit quidem esse prohibitum, non tamen prohibitione gravi, in or-  
dine ad felicem statum humanae Republicæ.*

Regularum harum bonitas elucescit ex eo, quia fundantur in com-  
muni illo, & notissimo principio, nempe, quod finis legum omnium  
circumscribatur salute publicâ. Unde sic licet arguere. Lex naturæ  
pro fine suo habet felicem statum humanae Republicæ: ergo jure natu-  
ræ id debet esse licitum, cuius licentia plus boni affert, quam mali, in or-  
dine ad felicem statum humanae Republicæ: id vero prohibitum, cuius  
licentia plus mali, quam boni afferret humanae propagini. Similiter, id  
debet esse graviter prohibitum, cuius gravis prohibitio pertinet ad felici-  
mem statum ratiocinantis Republicæ: id vero leviter, cuius gravis pro-  
hibitio plus mali, quam boni afferret humanae Republicæ. Neque e-  
ximia omnia, quæ exigunt prohiberi, exigunt prohiberi graviter; alio-  
quin pessime consultum esset naturæ rationali; quæ ordinariè non posset  
longo tempore ita sibi cavere, ut nunquam cespitet, aut labatur; adeoque  
si omnis lapsus dignus esset summâ miseriâ, non posset moraliter felici-  
tatem consequi, ad quam ab Auctore naturæ destinata est; eoque respe-  
ctu in misero planè statu constituta esset.

Ceterum, ut cognoscas, an jure naturæ aliquid sit licitum, vel il-  
licitum, non debes attendere emolummentum particolare, quod in hoc,

vel illo casu redundaret in Communitatem, si poneretur hæc, vel illa actione: sed emolumenitum universale, quod proveniret ex licentiâ huius, vel illius actionis. Sæpe enim expedit, actionem aliquam universaliter esse prohibitam, esto in particulari plus emolumenti, quam damni afferat Communitatì. Sic v. g. si homo, Reipublicæ noxius, autoritate privatâ occideretur, ex homicidio tali plus boni, quam mali redundaret in Rempublicam; & tamen non expediebat, homicidium tale esse licitum, propter ingentia incommoda, quæ ex licentiâ tali emergent. Si enim autoritate privatâ liceret occidere homines, noxios Reipublicæ, nemo ferè securus esset; quia homines, inordinatis affectibus in transversum acti, passim sibi persuaderent, hunc, vel illum esse noxium Reipublicæ. Sic quoque, si casus emergeret, ut per mendacium tota Communitas vindicari posset ab interitu, ex mendacio tali plus boni, quam mali redundaret in Rempublicam; & tamen non expediebat, mendacium tale esse licitum, propter ingentia damna, quæ ex licentiâ tali consergerent. Si enim obtentu emolumenti maioris liceret mentiri, tolleretur omnis ferè inter homines communicatio & fides, totumque commercium humanum dissolveretur; quia passim homines sibi fingerent, subesse bonum, præponderans malitia mendacii; adeoque sine fronte, sine pudore, sine remorsu mentirentur.

Quòd si ulterius inquiras, unde cognoscere liceat, an expedit ad felicem statum humanæ Reipublicæ, hoc, vel illud licere, aut non liceare? Ex Card. Pallavicino hanc regulam tibi eredo. Id expedit licere, in cuius licentiam homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authorе natura fuissent consulti, ut de licentiâ actionis ferrent suffragium. Contra, id expedit non licere, in cuius licentiam homines non consensissent, si ante omnem casum particularem ab Authorе natura fuissent consulti, ut de prohibitione actionis ferrent suffragium. Regulæ huius bonitas ex eo colligitur, quia, dum queritur de naturali honestate, vel in honestate humanæ actionis, non securius procedimus, quam si consulamus naturale lumen rationis nostræ, ac exploremus, quale consilium dedissemus Authori naturæ, si ante omnem casum particularem de condenda lege nos consuluisset. Cùm enim lex, vi essentia, promovere debet salutem publicam, ante omnem casum particularem, id singuli consuluerent,

falerent, quod censerent conducere ad tranquillitatem, & felicem statum humanæ Republicæ: ergo, quod in statu tali singuli consulerent Authori naturæ, id meritò censemus de facto artifissæ Authori naturæ, cum sciamus, quod lumen suum super nos signaverit.

Video sanè, quid opponere possis huic regulæ; nempe, varias esse 11 conditiones hominum; adeoque si pueri, si ætate fessi, si pauperes, si divites, si mares, si fæminæ, si robusti, si infirmi, si Reges, si privati, ante omnem casum particularem, ab Authore naturæ vocarentur in consilium, singulos ea consulturos esse, quæ statui suo magis conducerent. Sed dum ita arguis, manifestas, quod sensum legitimum regulæ allatæ non intelligas. Dum enim singimus, legis fanciendæ gratiâ, singulos homines ab Authore naturæ in consilium vocari, supponimus simul, de futuro statu suo nulli hominum adhuc constare, sed spem fortunæ prospexit, & metum adversæ, respectu omnium, penitus æqualem esse. In hoc statu proinde, quam legem singuli optarent, hanc meritò censemus, ab Authore naturæ latam esse. Cum enim in statu tali consulerent, quod conducere censerent ad tranquillitatem, conservationem, & bonum rationalis Republicæ, meritò concludimus, eandem sententiam placuisse Authori naturæ; cum certi simus, naturam non egisse nobiscum, tanquam cum servis, sed velut cum filiis; atque adeo in id intentam fuisse, ut leges condiceret, rationali Republicæ proficuas, non damnosas.

#### §. IV.

#### *De formâ & effectu juris naturalis.*

##### SUMMARIÆ.

- 1. Offenditur, quomodo jus naturæ differt à jure positivo.
- 2. Jus naturæ differt à conscientiâ.
- 3. Jus naturæ promulgatur per adventum recte rationis.
- 4. Effectus iuri naturali est, quod operetur obligacionem in conscientiâ.
- 5. Ut actus, substantia legi naturæ, sit honestus, debet intendi honestas objecti.

**F**orma juris naturalis est vel intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca stat in differentiâ specificâ, quâ distinguitur à lege positivâ: quæ differentia hisce limitibus circumscribitur. Nam I. jus naturæ fertur à Deo, tanquam authore naturæ: positivum, vel ab hominibus, vel à Deo, non tanquam ab authore naturæ, sed quatenus, tanquam Legislator, homines,

homines, societate politica circumscriptos, gubernat. II. jus naturae latissimè excurrit, ac omnes homines obstringit: positivum illos tantum obligat, pro quibus latum est. III. quæ præcipit jus naturæ, intrinsecè sunt honesta: quæ prohibet, intrinsecè turpia: quæ verò præcipit, aut prohibet jus positivum, non habent exigentiam intrinsecam, ut sub præceptum, vel prohibitionem eadant; sed rationem honestatis, vel in honestatis, desumunt à præcepto, aut prohibitione legis arbitrariz. IV. jus naturæ malum omne prohibet; nullum permitit: jus positivum, ut indulget fragilitati hominum, aut consulat necessitatibus publicis, ad malum quandóque nictantibus oculis conniveret. V. legi naturæ integrè non satisfacimus, si vel minima circumstantia, ad honestatem operationis necessaria, malitiam moralem imbibat: legi positivæ verò satisfacere possumus, etiam per malum actum. Quæ ratio diversitatis? Quia, si vel unica circumstantia contineat malitiam moralem, jam non ex integro satisfacio juri naturæ; cùm illa ipsa circumstantia adversetur alicui præcepto naturæ; adeoque, si ex motivo vanæ gloriæ succurrat proximo, in necessitate constituto, sublevo quidem alienam indigentiam; humanitatem tamen offendit; eoque respectu juri naturæ ex ase non satisfacio. Contra, lex positiva præcipit quandóque actionem aliquam, absque hoc, quod prohibeat circumstantiam, quæ malitiam actui conciliat: v.g. præcipit ieiunium, absque hoc, quod circumstantiam vanæ gloriæ prohibeat; adeoque si ex motivo vanæ gloriæ ieiunem, satisfacio quidem præcepto Ecclesiæ; contravenio tamen legi naturæ, prohibenti vanam gloriam. P. Suarez De LL. Lib. 2. cap. 10. n. 13. VI. jus naturæ, quia continet rectitudinem intrinsecam, mutationi non subjecit: lex positiva subjecit: quia fundatur in arbitrio humano, adeoque principio tam solido non nititur, ut perenni stabilitate omnem ævi injuriam eludat.

Sunt, qui jus naturæ cum conscientiâ confundant. Sed perperam! Jus naturæ siquidem est regula quædam universalis de iis, quæ creature rationali, quæ tali, sunt consentanea, vel dissentanea: conscientia verò est dictamen practicum de eo, quod in particulari hic & nunc agendum; adeoque per conscientiam promulgatur velut jus naturæ, & applicatur ad facta singularia. Deinde, jus naturæ agenda tantum respicit: conscientia verò etiam ad præterita extenditur, quorum tristem, acerbamque

bamque memoriam nobis refricar. Adhæc, conscientia latiores habet terminos, quam jus naturæ; quia non tantum leges naturæ, sed etiam positivas applicat ad facta singularia.

Forma extrinseca juris huius stat in promulgatione eius. Promulgatur autem per advenum rectæ rationis. Quando enim vigor ingenii annorum operâ intenditur, recta ratio, tanquam præco, omni tubâ vocalior, edicit nobis, quid dignitatî naturæ nostræ congruat, quid non congruat. Quâx tate verò leges naturæ hominibus innotescant, definiti non potest universali quâdam regulâ; quia videoas, auroram rectæ rationis aliis maturius, aliis tardius illucescere. Mores proinde auctoæ ritæ, genius ingenii, indoles regionis, ac circumstantiæ id genus aliae perpendendæ, ac conjectura ex iis sumenda.

Effectus juris huius est, quod operetur obligationem in conscientia. Lex naturæ siquidem, si propriè sumatur, vel præcipit aliquid, vel prohibet; si enim nihil præcipiat, aut prohibeat, sed tantum consulat, non meretur nomen legis: ergo omnis lex naturæ, propriè dicta, operatur obligationem in conscientiâ; quia posito præcepto, aut prohibitiōne, recta ratio enuntiat, id agendum esse, aut omittendum, quod lex præcipit, aut prohibet.

Plane, ut actus, substans legi naturæ, sit honestus, non sufficit. Objectum quomodo cunque attingi, sed honestas eius formaliter intendatur, necesse est. Neque enim commendare possis tanquam misericordē, qui ideo v. g. ægrum visirat, ut jucundè cum eodem fabuletur. Dispar est ratio operationis malæ. nam, si indigentia alienæ sublevandæ gratiâ furtum admittam, malitia furti refunditur in actum, licet formaliter non intendatur. Cur tam variè? Quia non possum ex virtute operari, si non agam ex motivo virtutis, atque adeò, si bonitatem eius non intendam; cum à bonitate neglecta in actum refundi nequeat prærogativa laudis. Contra, si inhonestatem objecti modo quo cunque intendam, contemno legem, quâ prohibetur objectum: qui conteinptus sufficit, ut iniuria in actum refundatur; quia bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu nascitur.

## S. V.

## De proprietatibus juris naturalis.

## SUMMARIA.

1. Prima proprietas juris huius est, quod rectius. dinem intrinsecam contineat.
2. Secunda, quod sit norma omnium reliquarum legum.
3. Tertia, quod stabili vinculo omnes homines constringat.
4. Quarta, quod ex diversitate locorum variationem non recipiat.
5. Quinta, quod omnibus ita nocum sit, ut non posse invincibiliter ignorari. Vbi tamen principia univeralissima sacerdotalia à mundo universalibus.
6. Sexta denique, quod mutationem reficiat.
7. Mutari propriè lex dicitur, quando mutatione directe affectis ipsam legem, vel obligationem eius. Impropriè verò, quando mutatione directe non incurrit in ipsam legem, sed in materia eius.
8. Materia legi substantia quælibet potestati homini.
9. Lex, potestati hominum non obnoxia, pendat quælibet à supremo dominio Dei, quælibet non.
10. Ius natura non potest mutari, mutatione direta. Et propriè dicta.
11. Quando ius natura reficit materiam, substantiam dominio Dei, aut voluntari hominum, potest mutari, mutatione alienam impropria.
12. Quando ius natura reficit materiam, substantiam potest: hominum, mutari potest ipsa propria voluntas ipsorum hominum.
13. Quando ius natura reficit materiam, non quidem hominum, dominio Dei tamen dominio, substantiam, mutari potest impropriè voluntate saleem ipsius Dei.
14. Quando ius natura attingit materiam, dominio Dei non substantiam omnem plaud mutationem rupit, etiam impropriam.

**C**um ius naturæ eximiis proprietatibus circumfluat, integritas doctrinæ flagitat, ut de his quoque, antequam hinc digrediamur, breviter differamus. Prima itaque proprietas juris huius est, quod rectitudinem intrinsecam contineat, ac non alia præcipiat, vel prohibeat, quam per se, ac vi essentiaz honesta sunt, aut turpia.

Secunda, quod sit norma omnium reliquarum legum, ita ut si ab universalis hac æquitatis regulâ vel latum unguem lex recedat, indiguit legis nomine.

Tertia, quod stabili vinculo omnes homines obstringat. Cum enim in rectâ ratione fundamentum suum habeat, omnes illos obligat, in quos cadit recta ratio; cumque naturæ nostræ sit incisum, iam parum refigi potest è mente hominum, quam parum possit recta ratio. Hinc nemo non inter rationem, & pravas affectiones pugnam, luctamque sentit: dum enim istæ insolenti procaciæ nos invadunt, ac in scelus propellere conantur, opponit se recta ratio, ac in motiva profert, quæ à flagitio dimoveant. Unde etiam peracto crimine vindicta conscientia severissimi censoris vices subit, ac vesaniam decoctæ honestatis peccatori

tori exprobrat: quamvis in ipso s̄avientium passionum æstu internus ille monitor surdā aure quandoque spēnatur. Neque homines singulos tantum, sed integras quoque communitates jus hoc obligat; quia istis quoque recta ratio edicit, quid naturali honestati congruat, quid non congruat.

Quarta, quod ex diversitate locorum variationem non recipiat, sed eandem vim ubique habeat. Neque enim orientem & occidentem agnoscit recta ratio, sed omni sole splendidior ubique lucet, ac terras cuiam Cimerias nitore suo perstringit. 4

Quinta, quod omnibus ita notum sit, ut non possit invincibiliter ignorari. Ubi tamen distinctione opus, ac universalissima principia practica secernenda ab aliis, minus universalibus. Universalissima principia practica, qualia sunt, bonum amore, malum odio dignum esse, non possunt ab ullo hominum inculpabiliter ignorari; quia tantam lucem præferunt, ut solâ penetratione terminorum innoteant, & assensum intellectui extorqueant. Conclusiones, ex principiis universalissimis deducuntur, duorum sunt generum. vel enim suâ sponte, ac sine operoso discursu ex primis fluunt; vel magno ingenii conatu, ac pertinaci labore indigent, ut ex illis deducantur. Principia prioris generis, tametsi fortè ad breve tempus, non tamen diu inculpabiliter ignorari possunt; quia eâ luce, eoque candore se insinuant, ut non possit diu animus durare, quin suspicione latentis malitiae tangatur: quâ oborta, ignorantia definit esse inculpabilis. Principia posterioris generis possunt ad longum tempus, ac fortè per totam vitam ab hominibus rudioribus ignorari; quia valde abstrusas veritates continent, quibus eruendis ingenia vulgaria vix suffecerint. 5

Ultima denique proprietas juris huius est, quod mutationem refugiat: que enim Divinâ quâdam providentia constituta sunt, semper firma ac inconcussa permanent §. i r. b. t. 6

Ceterum hic causè incedendum, ac mutatio propria secernenda ab impropriâ. Mutari propriè lex dicitur, quando mutatio directè affercit ipsam legem, vel obligationem eius. Impropriè verò, quando mutatio directè non incurrit in ipsam legem, sed in materiam eius. Sic propriè lex mutatur, si voluntate Legislatoris expressâ, vel tacitâ abrogatur; 7

getur; vel, si lex intacta quidem maneat, vis tamen eius ita retundatur, ut ob nudam voluntatem Legislatoris non extendat se ad personam, quam ex quo complectetur. Contra, impropriè lex mutatur, si circumstantia, fundans obligationem, immutetur, forte quod materia legis exuat conditionem, sub qua terminabat prohibitionem legis. Sic v. g. ablato rei alienæ cadit sub obligationem legis; sed non aliter, quam si dominus sit invitus. Si consentiat, inducitur talis mutatio ex parte materiæ, ut, quæ affecta certis circumstantiis terminabat prohibitionem legis, jam non terminet.

8 Illud quoque sciendum, materiam legis substare quandoque potestati hominum, quandoque non. Sic lex, quæ jubet, ut res aliena reddatur domino, ut contractus servetur, ut juramentum impleatur, respicit materiam, obnoxiam Legislatori humano: hic enim potest de bonis & contractibus civium disponere, prout exigit salus & felicitas Republicæ. Contra, lex, quæ prohibet occisionem innocentis, aut mendacium, respicit materiam, non obnoxiam Legislatori humano: hic enim de vita hominis, aut veritate, non potest pro arbitrio disponere.

9 Materia, potestati hominum non obnoxia, pendet quandoque à supremo dominio Dei, quandoque non. Sic v. g. vita hominis substata plenissimo dominio Dei: hic enim de vita nostra potest liberrime disponere. Contra, actus, respiciens odium, aut contemptum Dei, non pendet ex liberâ voluntate Dei; quia Deus non potest prudenter se ipsum odio, aut contemptu dignum reddere: alioquin non esset perfectissimus, cum infinitæ perfectioni assidere debet infinita auctoritas; cui repugnat, prudenter vilipendi ac contemni posse. Lubet jam pleno ore dicere, quam mutationem jus naturæ sufferat, quam non.

10 ASSESSIO I. Jus naturæ non potest mutari mutatione directâ, & propriè dictâ.

*Probatur.* Legem mutari, mutatione propriè dictâ, nihil est aliud, quam, manente eodem objecto, iisdem circumstantiis, obligationem legis, vel omnino tolli, vel certè ita restringi, ut ob nudam voluntatem Legislatoris se non extendat ad personas, quas ex quo complectetur. Sed hoc modo non potest mutari jus naturæ; quia ne quidem Deus efficere potest, ut, quod imbibit malitiam intrinsecam, exuat malitiam,

licitam, si nulla intercedat mutatio ex parte materie: adi ceterè, si potest mutare hanc in Deo agnosceris, fatearis, necesse est, posse Deum efficere, ut essentia et rerum confundantur; atque adeo, ut ignis cum aqua amiciam contrahat: ut gravia naturalem sarcinam abjiciant: ut dura, excusâ pertinaciâ, flaccidescant: ergo lex naturæ non potest mutari, mutatione propriè dictâ. *Confirmatur.* Actum laborare malitiâ intrinsecâ, nihil est aliud, quam actum repugnare creaturæ rationali, quâ tali. Sed ne Deus quidem efficere potest, ut actus, repugnans creaturæ rationali, quâ tali, eidem non repugnet, si nulla intercedat mutatio ex parte materie: quia ne Deus quidem conturbare potest essentias rerum: ergo Deus efficere non potest, ut actus, laborans malitiâ intrinsecâ, manentibus iisdem circumstantiis, exuat malitiam. *Promovetar argumentum.* Implicat manifestè, actum, spectatum secundum omnes conditiones & circumstantias, in quibus substat præcepto, vel prohibitioni naturæ, legi naturæ non substat: quia implicat manifestè, naturam, spectatum cum omnibus suis circumstantiis, esse talim, & non esse talen. At si lex naturæ subiret mutationem propriè dictam, tunc actus, spectatus secundum omnes conditiones & circumstantias, in quibus substat præcepto, vel prohibitioni naturæ, posset legi naturæ non substat: ergo implicat legem naturæ mutant, mutatione propriè dictâ.

**ASSERTIO II.** Quando jus naturæ respicit materiam, subjectam in dominio Dei, aut voluntati hominum, potest mutari, mutatione saltem impropriâ.

*Probatur.* Legem substat mutationi impropriæ, nihil est aliud, quam materiam eius privari, ac denudari circumstantiis, in quibus terminabat legem. Sed hoc modo potest mutari lex naturæ, si respiciat materiam, subjectam dominio Dei, aut potestati hominum; quia materia, ita affecta, non terminat legem naturæ in omnibus plane circumstantiis; alioquin non penderet à dominio Dei, aut potestate hominum: ergo quando jus naturæ respicit materiam, subjectam dominio Dei, aut potestati hominum, potest mutari, mutatione saltem impropriâ.

**ASSERTIO III.** Quando jus naturæ respicit materiam, subjectam potestati hominum, mutari potest impropriè, voluntate ipsorum hominum.

*Probatur.* Quando materia, terminans legem naturæ, pendet à potestate hominum, potest voluntate hominum ita immutari, ut, quæ affecta certis circumstantiis, substebat legi naturæ, jam non substet. Sed hæc mutatio dicitur impropria: ergo quando materia, terminans legem naturæ, pendet à potestate hominum, potest lex naturæ voluntate hominū mutari, mutatione impropriâ. *Confirmatur.* Esto lex naturæ jubeat, ut damnum, injustè illatum, reparetur; non tamen jubet pro circumstantiâ, si creditor jure suo cedat. Similiter, esto lex naturæ imperet, ut res aliena reddatur domino; non tamē imperat pro circumstantia, si Legis'ator humanus ex justâ causâ rem priori domino auferat, ac possessori tribuat. Rursus, esto lex naturæ præcipiat, ut res, contractu valido promissa, præstetur, non tamen præcipit pro circumstantiâ, si contractus ex justâ causâ à legitimo Superiore dissolvatur: ergo, quando lex naturæ respicit materiam, subjectam potestati hominū, potest voluntate hominum mutari mutatione impropriâ; quia, dum creditor jure suo cedit; dum rei alienæ dominium lex nobis tribuit; dum contractus à legitimo Superiore dissolvitur materia, quæ affecta certis circumstantiis terminabat legem naturæ, exuit illas circumstantias, ac desinit terminare legem naturæ. *Promovetur argumentum.* Contractus initi, juramenta præstata, vota emissa, non obligant absolutè, sed sub tacitâ conditione: *Nisi legitimus Superior ex justâ causâ contractum dissolverit, vel juramentum, aut votum relaxaverit.* Non enim expediebat, ex contractibus, juramentis, & votis, consergere obligationem absolutam; cum facile emergere possint circumstantiae, ut spirituale bonum animarum, aut ratio felicitatis publicæ postulet, contractum dissolvi, aut juramentum, vel votum relaxari: ergo negotiis hisce debebat inesse tacita conditio: *Nisi legitimus Superior juramentum, aut votum ex justâ causâ infregerit:* alioquin Divina providentia non sufficienter prospexit indigentiae nostræ, adeoque defecisset in necessariis: ergo, licet potestas humana statuere nequeat, ne votum, aut juramenti validum, dum persistit validum, servetur; potest tamen valorem juramenti, aut voti infringere, & hoc modo efficere, ut materia, quæ substebat necessitatì rei præstandæ, necessitatì illi desinat substare.

13      *ASSERTIO IV.* Quando jus naturæ respicit materiam, non quidem hominum, Dei tamen dominio subjectam, mutari potest impropriâ voluntate saltem ipsius Dei.

**Probatur.** Possum, auctore Deo, diripere bona aliena invito domino, esto furtum jure naturæ sit prohibitum. Similiter, possum, suffragante voluntate Dei, occidere innocentem, esto homicidium jure naturæ sit prohibitum. Rursus, possum, Numinis ad stipulante, plures uxores connubio mihi jungere, esto polygamia jure naturæ sit prohibita; & ideo hæc omnia, quia Deus est absolutissimus bonorum, vitæ, ac corporum nostrorum dominus; adeoque vi supremi sui dominii potest mihi jus concedere in bona alterius, in vitam innocentis, in corpora plurimum feminarum: ergo quando materia, terminans legem naturæ, pender à supremo dominio Dei, potest a Deo ita immutari, ut, quæ affecta certis circumstantiis substabant prohibitioni naturæ, jam non substet. **Confirmatur.** Ablatio rei alienæ non absolute terminat prohibitionem naturæ, sed sub hac conditione: *Si supremus bonorum dominus non consentiat.* Similiter, occisio innocentis non absolute impingit in legem naturæ, sed sub hac circumstantiâ: *Si absolutissimus vita dominus reclamat.* Rursus, connubium cum pluribus feminis non absolute subjacet interdicto naturæ, sed sub hac conditione: *Si plenissimus corporum nostrorum dominus autoritatem non presert.* ergo si Deus consensum suum accommoder, memorata negotia desinunt terminare prohibitionem naturæ: ergo quando materia, terminans legem naturæ, pender à supremo dominio Dei, potest Dei consensu suo efficere, ut, quæ affecta certis conditionibus substabant prohibitioni naturæ, jam non substet.

**ASSERTIO V.** Quando jus naturæ attingit materiam, dominio 14 Dei non subjectam, omnem planè mutationem respuit, etiam impro- priam.

**Probatur.** Jus naturæ mutari impropriè, nihil est aliud, quam materiam eius ita converti, ut, quæ affecta certis circumstantiis terminabat prohibitionem naturæ, jam non terminet. Sed hoc modo mutari non potest jus naturæ, si materiam respiciat, dominio Dei non subjectam; quia dum in statu suo persistit materia, persistit quoque fundamen- tum in honestatis; atque adeò, prohibitio circa illam: ergo quando lex naturæ respicit materiam, dominio Dei non subjectam, nullam planè mutationem patitur. **Confirmatur.** Quando materia, terminans pro-hibitionem naturæ, non pender à supremo dominio Dei, ideo non pen- det;

det, quia, si consurgere posset circumstantia, in qua non terminaret prohibitionem naturæ, discrimin subiret aliqua perfectio Divina. Sed repugnat, in discrimin vocari aliquam perfectionem Divinam; quia repugnat, Deum non esse perfectissimum: ergo si materia, terminans prohibitionem naturæ, non pendet à supremo dominio Dei, repugnat, consurgere circumstantiam, in qua non terminer prohibitionem naturæ, atque adeò repugnat, mutari mutatione impropria.

## CAPUT III. De Jure Gentium.

**A**Jure naturæ digredior ad jus positivum; quod vel Divinum, vel humanum. Divinum dicitur, quod pro genere humano, quatenus constituit corpus morale ac politicum, à Deo latum est. Humanum, quod constitutum est ab hominibus. Jus Divinum non est distinctionis nostræ. Humanum est vel sacrum, vel profanum. Sacrum dicitur, quod felicitatem internam Christianæ communitatis: Profanum, quod felicitatem externam humanæ communitatis pro fine suo habet. Juri sacro non immoror. Jus profanum est vel pluribus gentibus commune, vel huic, aut illi Republicæ proprium. Illud jus gentium: hoc civile nuncupatur. De jure gentium in hoc capite: de civili deinceps agemus.

### De jure gentium?

#### SUMMARIA.

1. Sunt, qui negant, dari ius gentium; quorum argumenta adducuntur.
2. Demonstratur, dari ius gentium.
3. Ad ius gentium sufficit consensus quarundam gentium.
4. Sufficit quoque, à populis moratoribus Hodiernis regimenter cōti.
5. Leges gentium violata non derribunt iuris gentium.

**A**N decur ius gentium, videtur sequentibus argumentis vocari posse in dubium. Si enim dari afferas, fatearis, necesse est, communiationum consensu latum esse. At fieri moraliter non potuit, ut omnes nationes communis legis sanciehdæ gratiâ in unum convenirent. Deinde, illa ipsa capita, quæ juri gentium vulgo adscribuntur, à populis non omnibus custodiri videas. Historiam sane si consulas, nequidem sa- cerrima

terima legationum jura apud omnes perque gentes viguisse intelligas: ergo non datur jus communis gentium consensu receptum, atque a deo neque jus gentium. Adhuc, apud illos quoque populos, qui humanitatis laudem ambiunt, parum authoritatis constare juri gentium, exempla docent, tum antiqua, tum recentia. Principes sane reperias, qui, tametsi jus gentium plenis buccis crepant, ubi servire dominationi, ac lenocinari authoritati suae advertunt: dogmata tamen eius aut superbè despiciunt, aut callidis machinationibus eludunt, ubi amplissimis desideriis suis adversari intelligunt: ergo non agnoscunt Principes, sceptra sua juri gentium esse obnoxia.

Sed opinioni huic reclamat communis sensus gentium, refragantur monumenta librorum, reluctatur aperta ratio. Communis sensus gentium; quia in historiis passim legitur, quod ad jus gentium nationes provocaverint. Monumenta librorum; quia omnes Authores classici unius velut ore clamant, dari jus gentium. Aperta ratio denique, quia datur jus, quo gentes, quæ tales, in ordine ad ea consociantur, quæ ad communem felicitatem, ac convenientem societatem ipsarum pertinent. Hoc vocatur jus gentium: ergo datur jus gentium.

Argumentis contrariis levi brachio rimam occlusero. Nam primum quod attinet, fateor sane, non dari jus, communis omnium gentium consensu latum, cum ne quidem sint cognitæ nationes omnes, tantum abest, ut communibus suffragiis leges tulerint. At hinc perperam colligas, non dari jus gentium. Falleris enim, totoque erras judicio, si existimes, ad jus gentium requiri nationum omnium suffragia: paucorum gentium consensu perficitur; neque desiderat consensum expressum, sed contentum est tacito, quem ex eo colligimus, quod circa matrem, sibi consentaneam, uniformiter gentes operentur, ac succenserant aliis, si à normâ, diu receptâ, deflectere sustineant. Tamen si itaque pleraque capita juris huius neque certam habeant originem, neque incisa legantur tabulis; non tamen ideo sublestæ sunt fidei: non enim uno momento, sed paulatim jus gentium invaluit, & alluvione velut temporis incrementa cepit. Hinc, quemadmodum originem juris consuetudinarii certâ conjecturâ assequi plerumque nequeas; sic quoque jus gentium juxta seriem temporum demonstrare non possis, quia secundum capitâ præcipua usu & consuetudine invalidit.

4 Simili responsione evertitur argumentum secundum. Esto enim nationes non omnes assurgant juri gentium; sufficit tamen, à plerisque pepulis moratoriis authoritatem eius coli, qui utique obligatione arbitriā potuerunt se constringere, ac leges quasdam communi placito recipere.

5 Argumentum tertium mole suā laborat, ac juris naturalis quoque authoritatem proterit. Nam hoc etiam quidam Principes alto supercilio despiciunt, ac, tanquam non deceat, iisdem legibus sceptra & stivas regi, exulare ab aulis jubent. Pangunt illi foedera, ut frangant: compo-nunt pacem, ut imponant: conventiones & circumventiones pari lance compensant: facta infecta, pacta fracta, rata pro arbitrio reddunt irrita: in clientelam alios recipiunt, ut decipient, ac patrocinium convertant in dominium: perfidiam tectorio jurejurandi incrustant; &, quia *vis ac jus*, cognata sunt nomina, jus omne in armis ponunt, ac vulnera ruptarū foederum ferro sanant: fortunæ prosperæ gloriā tumidi, ac libidine regnandi in transversum acti, bella ex bellis serunt: à sparsis pagatim incendiis diademati regio splendorem foenerantur: sub fallaci lante pacis oculu infligunt vulnera: sub specioso legationum titulo, emissarios, speculatores, ac proditores quaquaversum emittunt: nutriendæ perfidæ, stipendiaria improbitatis mancipia magnis sumptibus ubique alunt: injuriis alios lacefere, incautos invadere, infirmiores opprimere, pro ludo habent, ac materiâ potentiaz: omnia denique consilia, omnésque actiones publicas ad normam sequentium regularum dirigunt. Principi, imperium obtinenti, nihil injustum, quod nile. Sine injariâ gubernari non potest Respublica. Si jus violandum, regni causâ violandum est. In summa fortuna id equius, quod validius. Suum retinere, private domus: de alienis certare, regi: laus est. Pueri crepundiis, jurejurando viri sunt fallendi. Nulla fides, nulla religionis habenda ratio, ubi occasionem augenda potentia fortuna subministrat. Omnia sunt virorum fortium. &c. Interim non recordantur, infirmam esse potentiam, quæ fraudibus coaluit; neque fidam fortunam, quam improbitas peperit; ac facile aratum induci felicitati publicæ, si conculcatas naturæ leges pro fundamento habeat. Non igitur decedit aliquid juri gentium, si qui Principes id observare superbè renuant: non enim infractam authoritatem eius contemptus is arguit,

sed præteriam flexæ in arrogantiam potentiz: quæ non raro, turbine fatorum impulsa, in occasum præceps agitur, ubi ad summum apicem eveda creditur. Crescit enim ambitio, ut decrescat: inflatur superbia, ut difficitur: intumescit potentia, ut detumeat. Ego sanè suaserim, ut Principes, sortis prosperæ gloriæ ebrii, loco regularum, quas ex Machiavello paulo ante retuli, haec potius axiomata observent, ac in memoriam quandóque revocent. *Homines sumus, non Dei.* Sequitur superbos ulcere sergo Deus. Tesserà variante, plerūmque ludunt invicem calamitas, & magna prospexitas. Doli, præcocium instar fructuum, atatem non ferunt, sed brevi tempore contabescunt. Nemo speret, fortunam perpetuò fore sibi propitiam, qua instabilis rotæ uno tantum pede barens, mox præcipitat, quem impotentibus studiis evenerat: virtus est, ac dum splendet, frangitur. Firma non est potentia, que magnitudine laborat suâ. Principes, potentie fiducia cumidos ac feroce, potentia tormenta manens. Ad veram gloriam per solam virtutem via paret &c.

## §. II.

## Sitne jus gentium distinctum à jure naturæ?

## S U M M A R I A.

1. Propositorum difficultas, si ne jus gentium portio juris naturalis, an humani & arbitrarii?
2. Genus humanum non constituit magnam aliquid, ac propriè dictam Rempublicam.
3. Jus gentium, acceptum pro conventione gentium, vel obligatione, qua inde nascitur, non est portio iuri naturali.
4. Admissio legacionum, ac immunitas eorum non fundatur in necessitate naturæ.
5. Neque iura commerciorum fundamentum habent in necessitate naturæ.
6. Jus bellis quoque nascitur ex eo arbitrio hominum.
7. Idem dicendum de jure sepulturae.
8. Jus gentium, acceptum pro conventione gentium, aut obligatione, qua inde nascitur, non est propria & uniuersa species iuri.
9. Obligationis legitime, que constitutur jus gentium, tota prouincia à iure naturæ.
10. Divisio, quæ jus discerpitur in naturali & possevum, ac possevum alterius in jus gentium & civile, non est accurata.
11. Adornatur divisio alia, & accaracter.

**G**ravior, ac maiore opinionum variantium dissidio impedita difficultas est, si ne jus gentium portio juris naturalis, an humani & arbitrarii? Controversiam hanc latè discussi par. 1. *sel. quest. cap. 1.* Equidem non libenter, quæ alibi docui, transcribo, ne videar actum agere. Sed cogor doctrinam, loco citato traditam, hic repetere; ne principia, quorum seriem non interruptam opere hoc melior, hiatum sufferant.

Suppono tanquam certum, quod genus humanum non constituit magnam aliquam, ac propriè dictam Rempublicam, ita ut universi im-

perent, singuli obediant. Si enim genus humanum, consideratum tamquam ingens corpus, ex innumeris gentibus, velut membris vastissimis, compositum, fulgeret prærogativâ imperii, hanc vel liberalitati Numinis, vel juri naturæ, vel arbitrio & voluntati hominum referret in acceptis. Nihil horum absque notâ manifestæ temeritatis dici potest. Non pri-mum: quia sacræ paginæ ne verbulo quidem indicant, quod Dominus Deus ex universo humano genere formaverit magnam aliquam, & pro-priè dictam Rempublicam. Non secundum: quia conservatio & felix status humani generis potestate hanc non exigit: dummodo enim communitates perfectæ obtineant summum imperium, ac quoad ea, quæ pertinent ad convenientem communicationem plurium nationum inter se, consociari pacto, & arbitrariâ conventione possint, felicitati, ac incolumenti gentium sufficienter jam prospectum est: ergo non exige-bat conservatio humani generis, ut ex omnibus gentibus coalesceret magna quædam, & propriè dicta Respublica, potestate ferendarum legum, ac imperii prærogativis aliis instituta. Non denique tertium: partim, quia neque constat ex historiis, neque ex monumentis aliis, con-sensu nationum omnium genus humanum coalusse in magnam ali-quam Rempublicam: partim, quia Reges & Principes non agnoscunt in genere humano prærogativam majestatis; quin potius apertissime pro-fiterentur, sceptra sua soli Deo esse obnoxia: partim, quia fieri non potuit, ut suffragiis omnium gentium consurgere ingens illa Respublica, cùm plurius nationes hodiéque notitiam nostram effugiant: partim denique, quia, si ratio felicitatis publicæ persuasit gentibus, ut generi humano im-perium in homines singulos consignarent, persuadere quoque debebat, ut communibus suffragiis faciales & arbitros eligerent, à quibus contro-versiæ gentium cum potestate cogendi disceparentur: cui senatus, tametsi suffragentur pia quorundam vota, refragatur tamen manifesta ex-perientia.

Definde, vel dantur in universo hoc plures communites homi-num, summa potestate instructæ, vel non. Si dantur, non potest ingens corpus humani generis armatum esse summo impedio; quia evidentia repugnat, potestates supremas esse obnoxias potestati superiori eiusdem ordinis & linea. Si non dari afferas, luci meridianæ fatua temeritate obstre-

obstrepis, ac comminisceris aliquid, quod nulla censoris virgula satis castiget.

Adhuc, ex opinione contrariâ sequuntur absurdâ, quæ pro dignitate nullus Demostenes, aut Tullius enarrat. Sequitur enim I. Reges omnes ac Principes magnæ Democratiæ illius veros ac proprios esse subditos. II. ex comitiis generis humani ita pendere Reges ac Principes, ut omnem authoritatem, omnemque potestatem suam inde habeant. III. actus omnes, quos in ditionibus suis exercent Principes, censorum generis humani esse obnoxios, ac jure imperi irritari posse. IV. singulos homines obstringi, ut actiones suas dirigant in bonum magnæ huius Reipublicæ; ac, si facere id videntur, jure imperii ad id compelli posse. Quæ sane ut absurdè admittam, impetrare à me nequeo: absint enim à veritatis arâ, quam lucubratione hac posteritati struo, figura talia, ac formiantis Morphei fabulosæ nūgæ. Lubet jam è portu solvere, ac in propositæ controversiæ oceano vela ventis permettere.

**ASSERTIO I.** Jus gentium, acceptum pro conventione gentium, aut obligatione, quæ inde nascitur, non est portio juris naturalis, sed humani & arbitrii.

**Probatum.** Jus gentium, prædicto modo acceptum, non fundatur in necessitate naturæ, sed in merito arbitrio, & voluntate hominum: ergo non est portio juris naturalis; hoc enim imbibit rectitudinem intrinsecam. Veritas antecedens clarissimè elucescet, si capita præcipua juris huius emittavero, ac ostendero, in necessitate naturæ fundata non esse.

Ubi primo loco tene offerunt jura legationum, quæ ad duo summa capita revocari possunt: alterum consistit in admissione legatorum: alterum in securitate eorum, ac immunitate publicâ. Neque unum verò, neque alterum caput fundatur in necessitate naturæ. Non illud: quia, stando in naturâ, qualibet gens potuisset velle ita secum vivere, ut noller per legatos communicare cum gentibus aliis. Non hoc etiam: quia si spectemus principia naturæ, hostis injustus titulo belli justè occiditur: ergo etiam justè occiditur legatus, ab hoste injusto submissus; quia constituit membrum Reipublicæ hostilis.

Secundò huc pertinent jura commercii, seu libertas & facultas exercendi commerciorum, quæ tuos sum apud nationes alias. Nam, quod una

gens apud aliam ea sibi parare possit, quæ vitam hanc apparatu commodiore instruunt, non fundatur in necessitate naturæ: poterat enim quælibet gens velle contenta vivere cum iis, quæ aut largita est benignitas naturæ, aut propria peperit industria; neque vel divitiis propriis ad blandiri cupiditati alienæ; vel fortunis alienis illecebram subministrare luxui proprio: ergo quod de facto gens una negotiari possit apud aliam, sic, ut sine justâ causâ arceri à commercio hoc nequeat, consuetudine gentium introductum est.

6 Tertiò huc pertinent iura belli, quæ concernunt, vel initium belli, vel progressum eius, vel denique finem & effectum. Ad justum initium belli requiritur solennis denuntiatio, quæ jure naturæ præcisè non est necessaria; quia gentem, injuriaæ illatæ ream, ac ad satisfaciendum tardam, possum armis lacerescere, esto hostilitatem facialis non denuntiaverit. Ad justum progressum belli pertinet prohibitio, ne veneno imbuantur fontes, aut instrumenta bellica, néve per sicarium submissum hostis occidatur. Quæ capita non fundantur in necessitate naturæ: stando enim in jure naturæ, media omnia licet adhibere, quæ conducunt ad proterviam hostis frangendam, domandamque; dummodo à labore perfidiæ sint immunia: ergo quod de facto adhibere prædicta media non liceat, arbitrariâ conventione gentium est introductum. Ad effectum belli pertinet occupatio rerum hostilium, & impunitas extrinseca, quæ bellum tribuit. Occupatio, bello solenni subnixa, tribuit dominium rerum captarum sine modo & termino. Impunitatis extrinsecæ ea vis est ac potestas, ut, si in bello injusto, solenni tamen, hostem spoliaveris, aut occideris, in territorio alio forte repertus, puniri tanquam prædo, aut homicida nequeas. Utérque effectus naturæ est incognitus, ac consuetudine gentium introductus.

7 Quartò huic pertinet jus sepulturæ. Nam stando in naturâ, sepulturæ honor cadaveri humano non debetur, cum turpitudinem intrinsecam non sapiat, massam putridam cupresso non fumigari: molem misericabilem exquisitis inscriptionibus non exornari: ædificium lateritium marmore non incrustari: truncum inanimem terræ non infigi. Sed gentibus opinio alia resedit, ac conveniens visum fuit, corpus, è terrâ ornam, terræ ultro roddi, ne vel ab invitis natura id reposceret.

**ASSERTIO II.** Jus gentium, acceptum pro conventione gentium, vel obligatione, quæ inde nascitur, non est propria & univoca species juris.

*Probatur.* Jus, propriè dictum, est regula humanarum actionum, à superiori præscripta. Sed jus gentium, acceptum pro conventione gentium, vel obligatione, quæ inde nascitur, non est regula humanarum actionum, à Superiori præscripta; quia nulla gens est superior se ipsâ; una verò non est superior alterâ; neque datur ulla humana potestas, quæ gentes omnes subjectas sibi habeat: ergo jus gentium, acceptum pro conventione gentium, vel obligatione, quæ inde nascitur, non est propria, & univoca species juris. *Confirmatur.* Obstringere alios obligatione legali, supponit in obligante dominium & jus superius; quia lex, vi essentiæ exigit procedere à potestate superiori: ergo diversæ gentes liberæ obstringi non possunt obligatione legali; quia nullâ earum est superior se ipsâ; una verò in akeram non obtinet imperium. *Promovetur argumentum.* Plures Principes supremi non possunt obstringi obligatione legali; quia nullus eorum est superior se ipso; unus verò in alterum non obtinet imperium: ergo neque plures gentes liberæ obstringi possunt obligatione legali; quia nullâ earum est superior se ipsâ; una verò in alteram non obtinet imperium.

**ASSERTIO III.** Obligatio legalis, quæ comitatur jus gentium, tota provenit à jure naturæ.

*Probatur.* Obligatio legalis, quæ comitatur jus gentium, fundatur proximè in sequente principio: *Fides data est servanda.* Sed principium hoc est naturæ; quia attingit objectum, continens intinsecam veritatem honestatis: ergo obligatio legalis, quæ comitatur jus gentium, tota fundatur in principio naturæ. *Confirmatur.* Ideo ad ea, quæ præcipit, vel prohibet jus gentium, obstringimus obligatione legali, quia fides data est servanda: neque enim conventio gentium, quæ talis, inducere potest obligationem legalem, cum ex parte gentium non supponat dominium ac jus superius: ergo obligatio legalis, quæ comitatur jus gentium, tota provenit à jure naturæ. Hinc manifesta elucescit differentia inter obligationem legalem, quæ comitatur jus gentium, & illam, quæ resultat positâ lege civili. Hæc posterior siquidem proximè fundatur in

volumen Legislatoris; remotè verò in principio illo naturæ: *Legislatori, justè imperantis, est parendum.* Contra, prior illa unicè fundatur in principio illo naturæ: *fides data est servanda:* quia conventio gentium inducere non potest obligationem legalem, cùm ex parte gentium deficiat imperium, & jus superius. Ipsa quidem obligatio Justitiae, quæ resultat, positâ voluntate gentium, fundatur proximè in liberâ conventione gentium, ac remotè in principio illo naturæ: *fides data est servanda:* obligatio legalis verò, quæ comitatur jus gentium, tota fundatur in recens memorato principio naturæ.

**ASSERTIO IV.** Divisio, quâ jus discipitur in naturale & positivum, ac positivum ulterius in commune & singulare; seu gentium, & civile, non est accurata, neque tolerari potest, si ad normam regularum logicarum expendatur.

**Probatur.** Ut divisio sit accurata, debent singula membra dividentia participare naturam generis. Sed in divisione, recens allatâ, non participant singula membra dividentia naturam generis. Jus enim dividitur, quatenus dicit regulam humanarum actionum, à superiori præscriptam; cuius prædicati essentiam non imbibit jus gentium; quia arbitria conventio gentium non est regula humanarum actionum, à superiori præcripta: ergo memorata divisio non est accurata.

**I** Aliam proinde divisionem luber ad ornare, ac membra dividentia in hunc modum necdere. Jus est vel naturale, vel positivum. Jus naturæ respicit ac intendit, vel in genere honestatem, cuicunque objecto intrinsecam; vel in specie illam, quam continet impletio pacti, concernentis felicitatem gentium, quâ talium. Illud simpliciter, ac sine addito jus naturæ: Hoc verò jus gentium salutatur. Unde vides, quod idem jus, diverso modo spectatum, sortiatur denominationem aliam & aliam, ac dicatur vel naturæ, vel gentium. Naturæ quidem, si in genere honestatem respiciat, cuicunque objecto intrinsecam. Gentium verò, si in specie honestatem illam respiciat, quæ refuleat ex impletione pacti, concernentis felicitatem gentium, quâ talium. Atque ab hoc modo philosophandi quæ recessit, ausim dicere, quod à veritate recedat, ac in erroris semitam se & alios deducat. Nos deinceps, commodioris tractationis gratiâ, loquemur cum multis; & tolerabimus, ut arbitria conventionis gentium juris nomine mactetur.

## S. III.

*Quot modis accipiatur jus gentium, ac quae sit eius definitio?*

## SUMMARI.

2. *Jus gentium, impropriæ acceptum, illud dicitur, quid sine mutua obligatione ob utilitatem aliquam apud plures gentes est receptum: Propriè acceptum illud dicitur, quod cum mutua obligatione inter plures gentes est receptum.*
2. *Definitur, quod sit convenio, quā gentes, quā tales, in ordine ad ea obligatione mutua conjiciantur, qua ad felicitatem communem ipsorum pertinere.*
3. *Exponitur necessitas juris huius.*

**N**einatio statim turberis, monendum est, jus gentium durabat significativebus circumscribi: aliquando enim vocabulo hoc id designatur, quod ob utilitatem aliquam pluribus populis sine obligatione placuit; aliquando vero, quod mutuam obligationem operatur. Unde, ut occasio erroribus praeccludatur, impense notandum, jus gentium sumi vel impropriè, vel propriè. Impropriè acceptum, illud dicitur, quod sine mutua obligatione, apud plures gentes ob utilitatem aliquam receptum est. Videas enim, quod plures quandoque Republicæ in legibus & ritibus convenient: vel quia certæ leges æquitatem præferunt tam apertam, ut populis morationibus ultro se commendent: vel, quia eadem necessitatis aut utilitatis ratio ad observantiam certarum legum plures gentes obstringit: vel denique, quia ipsa morum similitudine diversæ gentes invitantur ad easdem leges recipiendas, & observandas. Quia tamen non eò pertinent leges illæ, ut mutuae obligationis nexu plures gentes conscient, ius gentium, propriè dictum, non constituunt. Hoc sensu multa reduci videas ad jus gentium, quæ tamen eò non pertinent. Sic in §. 2. b. t. & l. 4. & s. ff. *De Just. & Jur. feritutes, manumissiones, omnes ferè contractus, ac negotia id genus alia referri conspicias ad jus gentium; non quod utilitatem gentium, quā talium, promoteant, sed quia libere apud plures gentes sunt recepta.* Si quæ leges igitur apud plures gentes observentur, absque hoc tamen, quod communem earum felicitatem pro fine habeant, non tam sunt leges gentium, quam ius civile, apud plures populos receptum; appellanturque jus gentium per absum vocabuli, ideo videlicet quia usu plurimum gentium commendantur. Jus gentium propriè dictum est, quod inter gentes, quā tales, cum mutua obligatione receptum est.

*Definitur à variis varie. Accuratissime definiiri potest hoc modo:*

*Est conventio, quā gentes, quā tales, in ordine ad ex obligatione mutua consenserunt, qua ad communem ipsarum felicitatem pertinent. A definitione hac non longè recedit illa, quam tradit Imperator in §. 2. b. t. ubi jus gentium describit esse illud, quod usū, & humanis necessitatibus exigentibus gentes sibi constituerunt.*

Nimirum homines, licet in gentes varias sint dispersi, semper tamen retinent unitatem aliquam, non specificam tantum, sive illam, quae fundatur in similitudine naturæ; sed moralem quoque, ac velut politicam; cui fundamentum substernit præceptum illud naturale mutui amoris & misericordiæ. Hinc, licet quævis civitas communitatem perfectam constituat; nullam tamen reperias, quæ non relationem aliquam dicat ad hoc universum; quia nulla ita sibi sufficit, ut auxilio mutuo non egeat. Neque enim natura, licet beneficiorum prodiga, ullam gentem tot prærogativis exornavit, ut ad plenam felicitatem nihil eidem deefset; sed bona sua providissimè ita partita est, ut gentes singulæ, aut necessitate coactæ, aut utilitate pellectæ, juvamē, & præsidium mutuum ultro quererent. Hinc jure erat opus, quo gentes in ordine ad commercium hoc mutuum dirigerentur. Tametsi enim ipsa ratio naturalis regulas, dirigendis gentium negotiis proficuas, non panicas suggererit; illæ tamen erant generales nipiis, neque sufficiebant singulis negotiis, in quibus libere gentes inter se communicant, determinandis. Confer. P. Suarez Lib. 2. de Leg. cap. 19. n. 9.

#### S. IV.

#### *Adornantur varie divisiones juris huius.*

##### S U M M A R I A.

- |  |  |
|--|--|
| 1. Expluditur aviso, quib[us] ius gentium disrumpitur in prime unum & secundarium. | 3. Secundum in universale & particulare. |
| 2. Ius gentium dividitur primò in præceptorum & prohibitorium.                     | 4. Tertiò in externum & internum.        |
|  | 5. Quarto in scriptum & non scriptum.    |

**D**Ividitur ius gentium variè. Qui ius naturæ definiunt esse illud, quod natura omnia animalia docuit, erroris sui memores, duplex communiscuntur ius gentium, primævum & secundarium. Primævum vocant, quod ratio naturalis inter omnes homines constituit §. 1. b. t. Secundarium, quod usū, & humanis necessitatibus exigentibus introducunt §. 2. cod. Nimisrum erroris ea est indeoles, ut catenâ fallacissi-

mā unus trahat alterum. Ne primus tuat, surrogatur secundus: ne secundus satisfiat, subne~~citur~~ tertius; ac dum figmenta figmentis junguntur, integra errorum catena cuditur. Jus naturæ non rectè dici illud, quod natura omnia animalia docuit, supra demonstravi. Hinc faciliter iam operi evinco, jus gentium male dividi in primævum & secundarium. Nam jus, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, non est ius gentium, sed naturæ: jus verò, quod usu, & humanis necessitatibus exigentibus introductum est, per abusum vocabuli jus dicitur; cùm plures gentes, auctoritate suppare, superiorum in terris non agnoscant, à quo legis vinculo constringantur. Faceat proinde temulenta divisio, digna sanè, quæ è Jurisprudentiæ confiniis communibus peritorum calculis proscribatur.

*Rectius* dividitur jus gentium I. in præceptivum & prohibitorium. Præceptivum dicitur, quo actus aliquis præcipitur, v. g. admissio legatorum. Prohibitorium, quo actus aliquis prohibetur, v. g. violatio legatorum.

*Secundo* dividitur in universale & particulare. Universale voco, quod plurimum, & forte omnium moratiorum gentium convenientem societatem & coīunicationem pro fine habet. Particulare, quod paucarum, ac forte duarum tantum gentium communem felicitatem respicit. Jus gentium siquidem non ex numero nationum, sed ex fine extimatur; adeoque si vel duo populi conventionis vinculo in ordine ad ea consocientur, quæ ad communem felicitatem, & convenientem communicationem ipsarum inter se pertinent, consurgit verum jus gentium.

*Tertio* dividitur in externum & internum. Externum dicitur, quod impunitatem extrinsecam, ac tutelam publicam actui conciliat. Internum, quod actum in foro interno justum reddit. Versatur nimurum jus gentium vel circa actionem indifferentem, vel talen, quæ expensa ad jus naturæ, intrinsecam in honestatem continet. Actionem prioris generis si auctoritate suâ muniat, justam reddit pro foro interno & externo. Actionem posterioris generis in tutelam suam si recipiat, in honestatem eidem non abstergit, sed impunitatem extrinsecam saltem conciliat, ita ut in foro exterño puniri nequeat, quia actionem exercuit.

*Quarto* dividitur in scriptum & non scriptum. Scriptum dicitur,

quod expresso gentium consensu: Non scriptum, quod consensu tacito, sive usu & consuetudine gentium introductum est. Non enim interest, suffragio, an rebus ipsis, & factis voluntatem suam gentes declarent arg. L 32. §. 1. ff. De LL. Ad jus gentium scriptum revocari possunt foedera, & conventones publicæ, inter nationes initæ; non omnes quidem, sed ille saltem, quæ communem felicitatem gentium paciscentium respiciunt. Cùm enim foederata talia cōtendant, ut inter gentes sit conveniens communicatio in ordine ad ea, quæ ad communem felicitatem pertinent, non video, cur ad jus gentium revocari nequeant.

## §. V.

De Causâ efficiente, Subjecto, Objecto, Formâ, & Effectu  
juris gentium.

## S U M M A R I A.

1. Jus gentium, nō rigore ex consensu gentium.
2. Obligat gentes, quæ tales.
3. Non est de ratione iuris huius, ut normam gentibus omnibus prescribat.
4. Non fundatur jus gentium in sanctimonio imperium, & intimo contextu Rerum publicorum.
5. Refficie ius gentium et, quo premergetur.
- impeditus communicatum societatum gentium inter se
6. Differt jus gentium, cum à iure nature, tum à civili, non uno ex capite.
7. Promulgatur quandoque eo modo, quo leges civitatis, quandoque ius & praxis gentium.
8. Parit ius gentium obligationem iustitia.

**C**AUSA efficientis juris huius stat in consensu gentium: secluso enim pacto una Respublica nihil juris, vel authoritatis obunet in aliam, cum una non sit superior altera: ergo ut nexus juris & vinculum societatis inter plures gentes consurgat, pactum interveniat, necesse est.

**S**ubjectum iuris huius constitutum gentes, quæ tales. Possunt nimirum homines tribus modis considerari. I. tanquam homines, sive quatenus sunt creaturæ, rationis compotes. II. quatenus sunt cives huius, vel illius Respublicæ. III. quatenus sunt cives universi huius; sive quatenus dispersi in nationes varias, tanquam membra vastissima, constituant formidablem Respublicam, ut sic loquar, universi huius. Primo modo spectati, subsunt juri naturæ, à quo diriguntur in ordine ad ea, quæ creaturæ rationali, quæ tali sunt consenanea, vel dissentanea. Secundo modo spectati subsstant juri civili, à quo diriguntur in ordine ad ea, quæ pertinent ad felicitatem huius, vel illius Respublicæ. Tertio modo considerati, subsunt juri gentium, à quo diriguntur in ordine ad ea, quæ per-

tinent ad felicitatem natiōnum, quā talium: hic enim est scopus, & finis intrinsecus juris huius, nempe ut inter gentes, tanquam partes universi huius, conveniens sit nexus, societas, & communicatio, ne velut scopus dissolutæ, detrimentum, aut de honestamentum affricent humano generi.

Cave tamen, existimes, de naturâ juris huius esse, ut ad omnes planè gentes porrigitur, omnésque populos pari viaculo constringat: cùm enim fundetur in arbitrariâ conventione gentium, porrigi non potest ad nationes alias, quām quarum voluntate coaluit.

Scio sanè, quid communiscatur *Fridericus Hornius*, author, qui pafsum in opiniones paradoxas prurit. Contendit ille, obligationem juris huius non consurgere ex consensu gentium, sed ex intimo contextu Rerum publicarum, & sancti noni imperantium. Sed has phrasēs ego non intelligo. Vell enim contextus ille Rerum publicarum fundatur in jure naturæ, vel in jure arbitrario. Neutrū potest dici. Non primum: quia spectatâ naturâ, non occurrit, nisi duplex nexus inter gentes; unus physicus, fundatus in similitudine naturæ; alter moralis, & velut politicus, cui fundamentum substermit præceptum illud naturale mutui amoris & misericordiæ. Sed in neutro fundatur ius gentium, quia utérque mutationem respuit; adeoque non potest esse principium proximum iuris contingentis & arbitrarii. At neque secundum dici potest. Si enim contextus ille fundatur in jure arbitrario, manifestè sequitur, quod non sit universalis, sed illos tantum populos obstringat, quorum voluntate coaluit.

*Objectum* juris huius constitutum est, quæ promovent, aut impedit convenientem nexum, societatem, ac communicationem gentium inter se: quæ enim priore modo se habent, imperantur ab hoc jure; quæ posteriore, vetantur.

*Forma* juris huius est vel intrinseca, vel extrinseca. Intrinseca stat in differentiâ specificâ, quā distinguitur, tum à jure naturæ, tum à civili. A jure naturæ differt, quod non Deo, sed voluntati gentium vim suam referat in acceptis: quod gentes non alias obstringat, quām quarum voluntate coaluit: quod respiciat objectum arbitrarium: quod malum non omne prohibeat, sed conniventibus oculis quandoque toleret: quod mutationem

tationem absolute non respuat. A jure civili differt, quod voluntate pluriūm, pro incolis plurium, ac in bonum plurium civitatum constituantur, ac difficilius mutetur, quam jus civile.

<sup>7</sup> *Forma extrinseca* juris huius stat in modo, quo promulgatur. Ubi jus gentium scriptum separandum à non scripto. Scriptum, sive, quod constituitur expressā voluntate gentium, promulgatur eodem ferè modo, quo leges civiles; vel certè, quo promulgantur conventiones aliae, inter gentes initæ. Non scriptum promulgatur constanti usu, & praxi gentium, in materiâ, sibi consentaneâ, conformiter operantium: ex hac praxi enim satis colligitur, quod animum introducendæ obligationis gentes habeant; præsertim, si occasione oblatâ ad consuetudinem gentium, tanquam ad jus commune, provocent; vel, si qua natio à normâ illâ recesserit, indignentur, ac jus gentium temeratum esse conquerantur.

<sup>8</sup> *Effectus* juris huius est, quod pariat obligationem justitiæ. Quemadmodum enim, si privatus paciscatur cum privato, consurgit obligatio justitiæ: sic etiam, si gentes inter se paciscantur, consurgit obligatio justitiæ. Atque haec tenus differt jus gentium à civili: hoc enim, quia fertur à Legislatore, quæ tali, parit obligationem obedientiæ, non justitiæ; illud verò, quia substantiam capit ex conventione gentium, parit obligationem justitiæ. Quando itaque gentes ad conventionem decurrunt, ac de negotiis, communem felicitatem concercentibus paciscuntur, consurgit inter ipsas rigorosa obligatio justitiæ, ita, ut si fidei una fallat, constringi ab altera possit ad fidem servandam. Quemadmodum enim, si duo cives eiusdem Reipublicæ pactum ineant, consurgit inter ipsos rigorosa obligatio justitiæ, ita ut pars, fidei temerata rea, ad conventionem implendam coarctari, ac terrore judicii percelli possit: sic etiam, si gentes liberæ paciscantur, consurgit inter ipsas rigorosa obligatio justitiæ, ita, ut gens, fidei temerata rea, ad conventionem implendam constringi possit. Quia verò inter gentes liberas deficit commune judicium, integrum est parti læsæ, ad remedium aliud decurrere, ac, si cætera sint paria, gentem, fidei temerata ream, bello insequi. Tametsi enim an-  
ceps sit belli alca, periculosa expeditio, incertus exitus: si tamen gentem, perfidiæ ream, bello lacerfas, jure lacerfis, ac spes non vana subest, fore, ut aut'gentes reliquæ, justitiæ studiosæ, causæ tuz faveant; aut Deus,

Deus, supremus fidei sequester & arbiter, scelus commisere perfidiae ministerio armorum tuorum expicit.

## §. VI.

## Possitne jus gentium mutari?

## S U M M A R I A.

- 1. Proponitur status controversia.
- 2. Jus gentium, impropriè dictum, à quavis gente liberè mutari potest.
- 3. Jus gentium, propriè dictum, non absoluè mutationem respuit.
- 4. Jus gentium, propriè dictum, directè mutari non potest ab una sola gente, ita, ut obligatio eius quo ad hanc definatur.
- 5. Potest tamen ab una sola gente mutari quandoque improprietate.

Illud non satis exploratum, an mutationem respuat jus gentium, quemadmodum respuit jus naturæ? num admittat, quemadmodum admittit jus civile? Referre opiniones aliorum non vacat. Ego jus gentium improprium secernendum existimem à proprio, ac mutationem, communi consensu suffultam, ab illa, quam gens una sine consensu aliarum inducere properat.

**ASSERTIO I** Jus gentium, impropriè dictum, à quavis gente liberè mutari potest.

*Probatur.* Jus gentium improprium illud dicitur, quod sine obligatione mutuā apud plures gentes ob utilitatem aliquam receptum est. Sed jus hoc à qualibet gente liberè mutari potest; quia mutatione tali gentibus aliis nullum infertur prejudicium: ergo jus gentium improprium à quavis gente liberè mutari potest. *Confirmatur.* Jus gentium improprium secundū naturam intrinsecam est portio legum civilium, appellaturque jus gentium per abusum vocabuli, ideo videlicet, quia usus plurium gentium receptum est. Sed jus civile à quavis gente liberè mutari potest: ergo etiam jus gentium improprium à quavis gente liberè mutari potest.

**ASSERTIO II.** Jus gentium, propriè dictum; mutationem non absoluè respuit.

*Probatur.* Jus gentium, propriè dictum, est portio juris arbitrarii; quia fundatur in liberā conventione gentium: ergo mutationem non absoluè respuit. *Confirmatur.* Quæ determinantur per jus gentium, non sunt intrinsecè honesta, vel inhonesta; sed bonitatem, vel malitiam induunt, quia determinantur: ergo materia juris huius non est necessaria sed

sed contingens, ad eoque mutationi obnoxia; quia omne contingens, per se, est mutationi obnoxium.

**4. ASSERTIO III.** Jus gentium, propriè dictum, mutari non potest ab unâ solâ gente, ita ut obligatio eius quoad hanc desinat.

*Probatur.* Ex arbitriâ conventione gentium nascitur rigorosa obligatio iustitiae: ergo excutio non potest ab unâ gente, invitâ alterâ, quia nexum obligationis exire non potest debitor, invito creditore. Certè quando privatus pacificetur cum privato, unus invito altero exire non potest nexum obligationis: ergo idem obtinet, quando gens una pacificetur cum altera. Deinde, jus gentium, propriè dictum, plurimum nationum communem felicitatem respicit; eo enim tendit, ut inter plures gentes sit conveniens societas & communicatio quoad ea, quae gentibus, quâ talibus, sunt consentanea: ergo lieet utilitas eius cesseret quoad unam gentem; non tamen hoc ipso desinit quoad reliquas: ergo cum bonitas eius maneat, obligatio quoque maneat, necesse est.

**5. ASSERTIO IV.** Jus gentium, propriè dictum, ab unâ solâ gente mutari quandóque potest, indirecte saltem.

*Probatur.* Quando gens aliqua advertit, obligationem, conventionem gentium inductam, sibi esse noxiā, prudenter quandóque potest credere, gentes alias non fore invitas, si obligationem excutiat: ergo si de facto id tenter, ac gentes alias non indignentur, sed conniveant, liberatur. *Confirmatur.* Nihil est tam naturale, quam unumquodque modo dissolvi, quo colligatum est: ergo cum jus gentium, magnâ ex parte, tacitò consensu gentium sit colligatum, eodem quoque dissolvi rursus potest. Hinc gens, obligationis pertæsa, liberatur tali casu, non tam ob factum proprium, quam quia in talibus circumstantiis præsumptio prudens nascitur, obligationem tacitâ conventione gentium remisam esse.

# CAPUT IV.

## De Lege in genere.

§. L

### De Etymologia, Synonymia, ac Definitione Legis.

#### SUMMARIA.

- 1. *Jus civile considerari potest, vel absoluē, vel relatiō.*
- 2. *Lex dicta est vel à legendo; vel deligendo; vel ligando.*
- 3. *Circumfluit nominibus variis.*
- 4. *Definitur, quod sit ordinatio rationis, in bonum Communūtatis ab eo, qui curam illius habet promulgata.*
- 5. *Primò requiriunt ad legem, ut ratione nitatur.*
- 6. *Secundò, ut Communūtati pro quā fertur, conveniat.*
- 7. *Vt lex prudenter feratur, sufficiūt iudicium probabile de utilitate eius.*
- 8. *Non pertinet ad rationem legis, ut bonum rationis communūtatis ex a quo respiciat.*
- 9. *Tertiū requiritur, ut legem fertas superior in communūtate.*
- 10. *Quarid, ut lex sufficienter promulgetur.*

**J**uri gentium succedit jus civile, quod duobus modis considerari potest, absolute, sive absque respectu ad certam Rempublicam; & relatè, sive cum respectu ad Rempublicam Romanorum. Absolutè spectatūm Legis nomen obtinet; de quâ ut in genere agamus, integritas doctrinæ postulat.

Lex vel à legendo dicta est, quod legere in eādem liceat, quid agere, quid omittēre conveniat: vel à deligendo, quod ea deligat, quæ ad usum humanæ virtutis magis conducere videntur: vel denique à ligando, quod homines liget, ac ad sui observantiam obstringat.

Circumfluit nominibus variis, ac juris, præcepti, constitutionis, sanctionis, aliorūmque titularum encomiis celebratur.

Definitur in genere, quod sit ordinatio rationis, in bonum communūtatis politicae ab eo, qui curam illius habet, promulgata.

Unde advertis, ad legem, propriè dictam, plures conditiones requiri. Primò, ut ratione nitatur, atque adeò ut respiciat objectum honestum: alioquin nomen legis non meretur; quia lex vi sua essentia debet esse moralis regula honestæ operationis.

Secundò, ut Communūtati, pro quā fertur, conveniat; atque adeò ut Legislator probabiliter censeat, legem Communūtati esse proficiam. Potestas siquidem ferendarum legum per se respicit bonum Communūtatis: ergo etiam lex per se respicere debet bonum Communūtatis: ergo

ut Legislator subditos legis vinculo honeste obstringat, prudenter censere debet, legem convenire Communitati.

7 Planè, ut lex prudenter feratur, non requiritur certitudo, sed sufficit judicium probabile de utilitate eius: quia potestati ferendarum legum suffragatur possessio, quæ manere debet inconcussa, dum non certò constat, legem defectu aliquo laborare: ceteroquin vis obligandi cum magno Republicæ dispendio fatisceret in contemptum, quia lex vix ulla conscriberetur, cuius utilitas speciosa ratio ne aliquâ vocari non posset in dubium.

8 Illud sane non pertinet ad rationem legis, ut bonum totius Communitatis proximè, ac ex æquo respiciat. Reperias enim leges, de feminis, de pupillis, de minoribus, de militibus; atque adeò de parte quædam Communitatis latas, nec tamen dicere possis, quod deflectant à naturâ legis: partim, quia integrum ordinem hominum, non personas singulares, primariò respiciunt: partim, quia interest totius Communitatis, id genus leges ferri; in cuius utilitatem proinde ultimò redundat. *Palae tract. 3. oper. mor. disp. 1. n. 7.*

9 Tertiò requiritur, ut leges ferat superior in Communitate, sive ipsæ penes quem summa in Civitatem potestas resedit. Cùm enim Communitatem lex obliget, ferri debet ab eo, qui superior est Communitate; quia æqualis æqualem constringere legis vinculo frustra tentat.

10 Quarto denique requisitur, ut lex sufficienter promulgetur; quia non potest tanquam moralis regula dirigere actiones civium, nisi vim dirigendi cives sufficienter perspectani habeant. Hinc licet in particuliari sciam, qualem legem Princeps animo decreverit; si tamen non dum sit promulgata, obligatione eius non teneor: cùm enim sit allocutio publica, directa ad subditos, vim obligandi non ante obtinet; quam sit apta percipi perceptione publicâ.

### S. II.

## Referuntur potissimum Divisiones Legis.

### SUMMARIÆ.

- 1. *Divisio Lex præcepit in affirmativo &c; ne... 14. Quæris in prohibentem, ex iuris causa...  
garuisse.*
- 2. *Secunda in favorabilem &c; ostendit: quæ divisio... 5. Jure civili omnia Lex prohibens est hoc ipso iuris causa: nosq; altitude colligatur, quod sit tam...  
si replicatur.*
- 3. *Tertia in præceptivum, penalem &c; maximum. 6. Id est jure procedit jure Canonico.*

Dividi-

**D**ividitur lex varie. Primo in affirmativam & negativam. Affirmativa dicitur, quā præcipitur aliquid agendum. Negativa, quā prohibetur aliquid agendum. Differunt hæc leges, quia affirmativa non semper obligat in actu secundo, cum non omni tempore teneamur id agere, quod lex præcipit. Negativa vero semper obligat in actu secundo; quia nunquam possumus id agere, quod lex prohibet.

Secundo, dividitur lex in favorabilem & odiosam. Favorabilis dicitur, non ideo, quod nemini onus afferat; neque odiosa ideo, quod bonum eorum, quos obstringit, non respiciat: quia lex omnis, vi essentiaz, debet onus aliquod afferre, ac promovere bonum eorum, quos obligat. Sed divisio hæc desumpta est à fine, proximè ac primariò per legem intento: adeoque lex favorabilis dicitur, cuius finis primarius est favere; sive quæ favorem habet pro motivo: odiosa vero, quæ malum alterius habet pro motivo; vel certè, de quā aliunde constat, quod juxta mentem Legislatoris strictè sit accipienda. Sic v. g. lex, quæ licentia conceditur marito, occidendi adulterum, in flagranti deprehensum, est favorabilis; quia finis proximus legis huius stat in favore mariti, cuius justo dolori lex indulgere voluit. Hinc rectè nonnulli colligunt, etiam illum posse interfici, quem maritus deprehendit in flagrio cum sponsa de pœnasci; quia finis proximus legis fuit indulgete justo dolori, qui non maxima gravis est in casu temerariae uxoris cognitæ, quam non cognitæ. Contra, lex, quæ liberos parentes perduellis vatis poenis afficit, videtur odiosa, quia principaliter eò respicit, ut in liberis parentes coercet. Hinc rectè nonnulli colligunt, constitutionem illam ad nepotes non pertinere; quia cum primariò coercionem parentum respiciat, interpretatione restringi deber cap. 1.5. De R. f. in 6. Si non sufficienter constet, favorem, an odiorum lex pro motivo habeat, censenda est favorabilis; quia de Legislatore merito presumimus, quod beneficium potius voluerit conferre, quam coercere.

Tertio dividitur lex in præceptivam, & poenalem. Præceptiva dicitur, quæ simpliciter aliquid præcipitur, aut prohibetur, absque hoc, quod poena dicetur transgressoribus. Poenalis, quæ poenam minatur transgressoribus. Atque hæc est vel mera poenalis, vel mixta. Mera poenalis dicitur, quæ solius poenæ mentionem facit, absque hoc, quod

actum præcipiat, aut prohibeat; ut si dicat Legislator: *qui venatus fuerit, decem aureis mulctabitur.* Mixta vocatur, quæ duo membra continet, in quorum uno aliquid præcipitur, aut prohibetur, in altero poena præfigitur transgressoribus. Atque hæc est vel mixta verbis disjunctivis, vel conjunctivis. Lex disjunctivè mixta dicitur, quæ sub disjunctione actum prohibet, & poenam minatur; ut si dicat Legislator: *Aut nemo deinceps venetur; aut qui venatus fuerit, decem aureis mulctabitur.* Conjunctivè mixta vocatur, quæ & actum prohibet, & poenam minatur transgressoribus; ut si dicat Legislator: *Nemo deinceps venetur; qui venitus fuerit, decem aureis mulctabitur.*

Quartò dividitur lex in prohibentem & irritantem. Prohibens dicitur, quæ actum nudè prohibet. Irritans, quæ actum jubet esse irritum.

Ubi illud in dubium trahi video, an omnis lex prohibens sit etiam irritans? Certum est, quod jure civili omnis lex prohibens sit hoc ipso etiam irritans; nisi aliunde colligatur, quod sit tantum prohibens. Deducitur apertissimè ex l. 5. C. de LL. ubi perspicuè decernitur, quæ contra probationem legis facta sunt, ipso jure esse irrita, licet clausula irritans legi non sit adjecta. Planè, si remedium lex suppedaret, quo actus, jure prohibitus, rescindatur, lex prohibens non censetur esse irritans; quia quod ipso jure non tenet, non indiget rescissionis auxilio. Sic, et si sub conditione non licet ferre sententiam; si tamen feratur, tenet sententia, quia lex remedium suggerit, quo rescindatur l. 1. §. 5. ff. Quand. appell. sit. Sic quoque, licet aleæ lusus jure civili sit prohibitus; si tamen ludas & perdas, transfertur dominium pecuniae in collusorem; quia lex actionem tribuit, quâ pecunia soluta repetatur l. 1. l. 3. C. De aleator. Sic quoque, licet alienare in fraudem creditorum sit prohibitum; tenet tamen alienatio, quia lex remedium suggerit, quo rescindatur §. 6. De att.

Id ipsum procedere existimem jure Canonico: partim, quia Canones hoc in passu nullibi à jure civili recessisse invenias: partim, quia in can. 13. caus. 25. quest. 2. Gregorius Pontifex videtur approbasse jus civile: partim denique, quia in cap. 64. De R. J. in 6. traditur regula generalis, quæ contra jus fuit, habenda esse pro infectis. Scio sancè, quod alijud occinere videatur textus in cap. 16. De regul. ubi testatur SS. Pon-  
tifex, multa in jure prohiberi, quæ facta firmaratem obtineant. Sed

nō obloquitur texus ille. Fateor enim, multa in iure prohiberi, si tamē, ut facta teneant. Sed tunc, quando aliunde constat, legem tantum esse prohibentem; forte, quia ipse Legislator mentem suam exprimit; vel, quia remedium suggestit quo actus rescindatur; vel etiam, quia praxis Ecclesiae, consuetudo, aut communis opinio peritorum, vñ non aliam, quam prohibendi, in lege agnoscit. Regulariter itaque omnis lex prohibens est etiam irritans. Fallit tamen hæc regula, nisi aliunde constet, legem tantum esse prohibentem. Scio etiam, Canones, dum actum irritare volunt, ut quandoque clausula irritante cap.

2. De regular. in 6. Trid. Sess. 24. cap. 1. De refor. matris. Sed quid tum? Cautela superflua nocere non solet. Ut ambiguum viae omnis praecidatur, ac de mente Legislatoris apertius constet, clausula irritans quandoque legi apponitur. Atque doctrinæ huius blanditias impense ambio, quia concordiam adstruit inter Canones, & Leges; quā mirè capior. Confer Clariss. Dn. Collegam P. König lib. 1. Jnr. Can. tit. De constitut. n. 26.

## §. III.

Sitne potestas ferendarum legum à Deo, & quo sensu?

## S U M M A R I A.

1. Potestas ferendarum legum civilium est à Deo.
  2. Sed controversetur, sicut illa à Deo, ut sola Divina voluntas sit radix & causa proxima potestatis.
  3. Potestas duobus modis potest proximè à Deo procedere. I. tangam ab Autore natura. II. tangam à libero collatoro.
  4. Potestas ferendarum legum civilium potest vel absoluē ex se, vel ceteris, sive quatenus residet potes unum, vel paucos.
  5. Potestas ferendarum legum civilium, non descendit proximè ab hominibus.
  6. Potestas ferendarum legum civilium, in se, & ab soluē ipsella, non provenit à Deo, tangam à libero Collatore.
  7. Potestas ferendarum legum civilium, in se ipsa
8. Etat, procedit proximè à Deo, tangam ab Autore natura.
  9. Potestas ferendarum legum civilium, quatenus residet potes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, sed confertur ab ipso Consumentate.
  10. Exponitur, cur stando in natura, potestas ferendarum Legum civilium magis sequatur potest Communitatam, quod uarum, vel paucos.
  11. Recta ratio factum popularium non absolunt deo terminas.
  12. A potestate ferendarum legum, quid eminet SS. Pontifex, non licet argumentum ducere ad potestatem, quid praeceperunt Principes post litteras.

Causa efficacis legis civilis est vel remota, vel proxima. Remota stat in principio, unde oritur potestas ferendarum legum civilium. Ubi suppono tangam certam, quod potestas ferendarum legum civilium sit à Deo. Ita enim edicta Divina Sapientia, dum Proverb. 8. vers. 1. seq.

&c. seq. ita perorat: *Per me Reges regnare, & conditores legū iusta decernere.*  
*Per me Principes imperant, & potentes indicant serram.* Divina Sapientia  
 sueclamata Doctor gentium, dum cap. 13. ad Romanos in hæc verba scribit:  
*Non est potest. ut, nisi à Deo, que autem sunt, à Deo ordinatae sunt.* Neque deest  
 solida ratio, quâ veritas hæc firmiter. Natura humana siquidem inna-  
 to appetitu ambit societatem civilem; quâ sine obtricere non posset ea,  
 quæ ad convenientem vitæ conservationem, ac felicitatem, statu suo di-  
 gnam, pertinent. At sine pace & justitiâ conservari non potest civilis  
 societas: ergo neque sine potestate ferendarum legum: ab hac enim de-  
 terminari debent, quæ conducere videntur ad conservationem pacis &  
 justitiæ: ergo communitatem perfectam debet comitari potestas fe-  
 renderum legum, atque adeò, Deus, tanquam Author naturæ, debet  
 velle, ut memorata potestas in communitate perfectâ resulteret: partim,  
 quia natura humana non potest esse destituta modiis, ad conservatio-  
 nem suam necessariis; nisi stolidè censeas, Deum & naturam deficere  
 posse in necessariis: partim, quia appetitus in natus, quo creatura ratio-  
 nalis societatem civilem ambit, provenit à Deo, tanquam ab Authore  
 naturæ; à quo proinde provenire quoque debet potestas ferendarum le-  
 gum; nisi velis, appetitum, à Deo naturæ nostræ impressum, esse fru-  
 stratum. Deinde, nullum corpus conservari potest, nisi detur prin-  
 cipiū in aliquod, cui ex officio incumbat, commune bonum eius pro-  
 eurare: partim, quia membra singula potissimum bono suo privato con-  
 sulunt, quod sèpè adversatur utilitati communis totius corporis: partim,  
 quia ad felicem statum totius corporis multa requiruntur, quorum aut  
 nullà, aut exigua curâ tanguntur membra singula: ergo etiam corpus  
 politicum perfectæ Communicatis conservari non potest, nisi detur ca-  
 put, cui ex officio incumbat, bonum communicatis procurare; atque  
 adeò, nisi detur potestas publica, cuius editiis arque imperiis membra  
 singula ad bonum communis procurandum inflectantur: ergo cùm  
 vi luminis naturalis assequamur, quod communitas perfecta potestate  
 ferendarum legum sit instruta solidè concluditur, quod à Deo, tan-  
 quam Authore naturæ, potestas illa proveniat.

De illo vehementer Auctores ambigunt, proveniâne pot-  
 estas ferendarum legum civilium proximè à Deo? Certum est,

procedere proximè à Deo , tanquam à causâ primâ & universali. Nam omnis planè potestas , etiam illa , quam homo conferit homini , hoc sensu procedit proximè à Deo , cum hic , tanquam causa prima , proximè influat in actum , quo potestas ab homine conferatur. Hinc eo sensu controversia procedit , an videlicet potestas ferendarum legum civilium ita procedat à Deo , ut sola Divina voluntas sit radix , & causa proxima potestatis.

Potest verò potestas aliqua proximè à Deo procedere duobus modis. I. tanquam ab Authore naturæ. II. tanquam à libero collatore. Tanquam ab Authore naturæ procedit , si producatur creatura , quæ vi naturæ suæ potestatem exigit. Tanquam à libero collatore verò , si producatur creatura , quam Deus ex mero motivo liberalitatis suæ potestare instruit. Sic v. g. potestas , quam pater obtinet in filium , alienæ opis adhuc indigum , provenit à Deo , tanquam ab Authore naturæ: supposito enim generationis fundamento , anima rationalis , à Deo creata , naturaliter exigit subesse potestati patris. Contra , potestas pattandorum miraculorum provenit à Deo , tanquam à libero collatore ; quia nulla creatura , vi naturæ , potestatem hanc exigit ; quam proinde si à Deo recipiat , recipit tanquam à libero collatore.

Cæterum , potestas ferendarum legum civilium duobus modis spectari potest , in se , & absolutè , ac relate . In se , & absolutè , si præcisè spectetur tanquam potestas temperande legibus Republicæ . Relate vero , si consideretur cum respectu ad subjectum , potestate instructum ; atque adeò , si spectetur , quatenus vel penes unum solum , vel paucos resider . Lubet jam habendas permittere veritati , ac toto discurrere campo.

**ASSERTIO I.** Potestas ferendarum legum civilium in se & absolutè spectata ; non descendit proximè ab hominibus.

**Probatr.** Ferte leges , & per has obligare alios moraliter , supponit in obligante dominium , ac jus superius : ergo potestas ferendarum legum civilium non potest proximè descendere ab hominibus ; quia , ex naturâ rei , neque unus homo est superior altero , neque tota collectio hominum est superior singulis , cum ex æqualibus coalescat . **Confirmatur.** Esto singuli homines suā sponte communitati se subiciant , ac Communitas subjectionem accipiat ; nisi tamen voluntas superior subjectione-

jectionem raram habeat, non potest in communitate consurgere potestas superior; quia singuli possunt duci pœnitentiâ, ac nolle subesse Communitati, cùm nemo sibi ipsi possit legem dicere: ergo potestas ferendarum legum non potest provenire à voluntate hominum. *Præmouetar argumentum.* Potestati ferendarum legum assident prærogationes aliae, quæ non possunt conferri ab hominibus: qui enim, imperium obtinet in alios, potest inducere obligationem in conscientiâ, ac ultimum, quæque meritos percellere pœnâ mortis: quæ jura videntur, transcendere naturam humanam, secundum se spectatam; quia solus Deus est dominus vite nostræ, ac solus virtute propriâ obstringere potest in conscientiâ ut supra demonstravimus: ergo potestas ferendarum legum non potest proximè provenire ab hominibus, tanquam à causâ.

**ASSERTIO II.** Potestas ferendarum legum civilium, in se spectata, non procedit à Deo, tanquam à libero Collatore. Ita Suarez Lib. 3, contr. Reg. Anglia cap. 2. n. 5:

*Probatur.* Gratus, ac sine fundamento dicitur, potestatem ferendarum legum civilium procedere à Deo, tanquam à libero collatore; quia textuum nullum in sacro Codice reperias, qui Authenticas collationis huius tabulas exhibeat: ergo potestas ferendarum legum civilium non provenit à Deo, tanquam à libero Collatore. *Confirmatur.* Si potestas ferendarum legum civilium proveniret à Deo, tanquam à libero collatore, sine speciali revelatione Dei non posset nobis innescere; quia nihil supernaturale cognoscere possumus meritis viribus naturæ. Sed vis luminis naturalis concludimus, quod communitas perfecta instructa sit potestate ferendarum legum; quia evidenter advertimus, quod si ne hac conservari nequeat: ergo potestas ferendarum legum civilium non potest à Deo provenire, tanquam à libero collatore; quia consurgeret in communitate, etiam sedius liberâ collatione Dei.

**ASSERTIO III.** Potestas ferendarum legum civilium, in se spectata, procedit proximè à Deo, tanquam ab Authore naturæ. Ita P. Suarez ab supra, n. 6. & lib. 3. De LL. cap. 2. n. 4.

*Probatur.* Communitatem hominum perfectam, societatis civilis pangendz gratiâ collectam, potestas ferendarum legum civilium consequitur, tanquam moralis quedam proprietas, ut pote omnino necessaria ad

ria ad conservationem eius: ergo, cùm Deus sit Author proximus naturæ humanæ, societate civili circumscriptæ, erit quoque Author proximus potestatis, quæ naturam humanam, societate civili circumscriptam, sequitur; quia proprietates suæ sponte fluunt ex naturâ; adeoque qui est author naturæ, censetur quoque author proprietatum, quæ per se consequuntur naturam. *Confirmatur.* Quando societatis civilis pangenda gratiâ homines coalescunt, potestas ferendarum Legum civilium cùm necessitate resultat in communitate illâ, ut non possit voluntate hominum impediri: quia non stat in arbitrio hominum, velle naturam, & nolle proprietates, sine quibus conservari non potest natura: ergo signum est, prædictam potestatem non provenire à voluntate hominum, sed originem trahere à Deo, tanquam authore naturæ. *Promovetur argumentum.* Ex eo, quod posito consensu in matrimonium, resultet in marito potestas in uxorem, & quidem cum tantâ necessitate, ut impediri nequeat voluntate contrahentium, bene infertur, potestatem illam non profici à voluntate contrahentium, sed conferri à Deo, tanquam Authore naturæ: ergo etiam; ex eo, quod posito consensu hominum in societatem civilem, resultet in communione potestas ferendarum legum, & quidem cum tantâ necessitate, ut impediri nequeat voluntate hominum bene infertur, potestatem illam non profici ab hominibus, sed conferri à Deo, tanquam Authore naturæ. Quando itaque homines coniungi consensu in unum morale corpus coalescunt, eo sine scilicet, ut politicæ felicitatis obtinendæ gratiâ in uitium juvamen sibi præstent, disponunt, ac præparant velut materiam supremæ potestatis; & quia sine hac conservari non potest Communitas politica, hinc Deus, tanquam Author naturæ, mouet necesse illâ, ut potestatem ferendarum legum communian conferat.

**ASSERTIO VI** Potestas ferendarum legum civilium, quatenus resideret penes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, sed conferitur ab ipsâ Communitate. Ita P. Molina tract. 2. De Just. & Jur. disp. 26. n. 4. & P. Suarez, ubi supra, n. 4.

**Probatur.** Si potestas ferendarum legum civilium, quatenus resideret penes unum, vel paucos, procederet proximè à Deo, tunc vel tanquam à libero collatore, vel tanquam ab Authore naturæ. Neutrum potest

potest dici. Non primum: quia collationis huius deficiunt authenticæ tabulæ. Non etiam secundum: quia potestas ferendarum legum civiliū, in se spectata, non magis exigit residere penes unum, vel paucos, quam penes totam Communitatē: ergo quatenus residet penes unum, vel paucos, non procedit proximè à Deo, tanquam ab Authore naturæ. *Confirmatur.* Potestas ferendarum legum civiliū, quatenus residet penes unum, vel paucos, non est determinatè necessaria ad conservatiōnem Communitatē politiæ; huic enim constare potest sua felicitas, si ve penes unum, si ve paucos, si ve totam communitatē potestas illa resideat: ergo ratio naturalis determinatè non exigit, ut potestas ferendarum legum penes unum, vel paucos residat: ergo quatenus residet penes unum, vel paucos, non procedit à Deo, tanquam ab Authore naturæ; quia non consequitur unum, vel paucos, tanquam moralis quædam proprietas. Potestas itaque ferendarum legum civiliū, quam Princeps, vel Optimates obtinent, procedit proximè à Communitate; remotè verò à Deo. Quam doctrinam exemplo dominii humani lucidorem reddo: hoc enim partim institutioni hominum, partim Divinæ bonitati referimus in acceptis. Plerisque modos acquirendi dominij sū perlustres, jure vel gentium, vel civili introductos fuisse advertas. Hinc si Titus ex causâ donationis, vel permutationis dominium in me transferat, proximè quidem Tito; remotè verò Deo iūs meum debeo: Hic enī contulit nobis dominium velut universale in omnes res sublunares, dum initio communes esse voluit; ac liberam occupandarum licentiam hominibus consignavit. Illud ipsum proinde dominium, quod recipio à Tito, primæ donationi Numinis acceptum fero. Pari modo, potestas ferendarum legum, quam Princeps obtiner, proximè confertur à Communitate; remotè verò à Deo; ab hoc enim, tanquam ab Authore naturæ, ipsa communitas potestatem ferendarum legum obtinuit.

Ex iis, quæ diximus, patet etiam, cur, stando in naturā, potestas ferendarum legum civiliū magis sequatur totam Communitatē, quam unum, vel paucos: Cūm enim recta ratio dictiter, ut Communitatē perfectam sequatur potestas ferendarum legum; nec tamen præcisè judecat, ut unum comitetur, vel paucos; subiectum aliud non maneat reliquum, in quo residat, quam tota Communitas; quam proinde tanquam proprietas moralis sequitur.

Neque tamen recta ratio statum popularem determinat: non enim 19  
absolutè præcipit, ut potestas ferendarum legum penes totam Commu-  
nitatem resideat, sed sub conditione, nisi voluntate populi, vel alio justo  
titulo in unum, aut paucos translata fuerit. Quemadmodum statum  
libertatis recta ratio non determinat: non enim absolutè præcipit, ut in  
libertate singuli homines relinquantur; sed sub conditione, nisi gravis  
& justa causa servitutem suaserit.

Caterūm cave, à potestate ferendarum legum, quā eminet SS. i. t.  
Pontifex, argumentum ducas ad potestatem, quā præcellunt Principes  
politici. Tametsi enim una & altera à Deo procedat; non tamen eo-  
dem modo. Nam priorem illam proximè confert ipse Deus; neque  
confert Ecclesiaz, quatenus sapit corpus mysticum; sed ipsi Pontifici,  
tanquam capiti Communitatis Christianaz. Posteriorem verò proximè  
confert ipsa Communitas. Hinc, quando calculis purpuraz gentis eve-  
hitur aliquis ad dignitatem Pontificiam, nuda persona designatur, in  
quam potestas, Divina voluntate constituta, transeat. Contra, quan-  
do suffragiis populi Princeps éligitur, non designatur nuda persona, in  
quam potestas, à Deo accepta, transeat; sed ipsa potestas ferendarum le-  
gum novo titulo confertur in Principem; quā in gratiam Principis Com-  
munitas liberè se spoliat. Hinc potestas, quā eminet SS. Pontifex, ne-  
que minui potest, neque augeri, licet Pontifex consentiat; quia totam  
determinationem suam recipit ab institutione Divinâ, quam infringere  
voluntas hominum frustra tentet. Contra, potestas, quā instructi sunt  
Principes politici, potest initio vel maior, vel minor conferri, ac decur-  
su etiam temporis mutari; quia determinationem suam voluntati Com-  
munitatis refert in acceptis.

§. - IV.

*Quis possit Legem ferre.*

## SUMMARIA.

2. Legem ferre potest in genere superior in Communi-  
 tate politica.

3. In specie SS Pontifex pro terris, in quibus Pris-  
 cipio politici personam sustinet.

3. Secundū Imperator pro todo Imperio.

4. Tertiū Regna, heres regni, lictus nubus.

5. Quartū Principate baroniacay vel infidelia.

6. Quintū iuris, nec furiosos, legítimos coram  
 successor.

7. Contra, non potest legem etialem ferre prius  
 Pontifex pro universo orbe Christiano.

8. Secundū Imperator pro todo orbe.

9. Tertiū Proceres Imperii: qui tamen liberdem  
 scribunt Ordinationes Provincia.

- C**ausa efficiens proxima legum civilium est Legislator. Ubi occurrit regula generalis, quod legem civilem condere possit superior in Communitate politica; sive is, penes quem summa in civitatem potestas resideret; adeoque supremus Princeps, in statu monarchico: Optimatus in statu Aristocratico: tota denique Communitas in statu populari.
- In specie**, potest legem civilem ferre *primo*, SS. Pontifex, pro terris, in quibus Principis politici personam sustinet, ac seculari maiestate fulget.
- Secundo**, Imperator pro toto imperio *L. fin. C. De LL.* Hodie tamen legem universalem pro toto imperio non solus Imperator condit, sed Imperator cum Electorum, &c. reliquorum Statuum consensu *Infrum. Pac. Mem. art. 8. vers. Gaudeant.*
- Tertio**, *Regina*, hæres regni, licet nubat. Si enim per nuptias caderet potestate ferendarum legum, tunc vel ideo, quia maiestas transiret in maritum: vel, quia a dividetur in duo capita, ac penes utrumque conjugem ex aquo resideret: vel deinceps, quia administratio regni marito cederet. Nihil horum dici potest. Non primum: partim, quia fæmina, ex naturâ rei, est capax supremæ potestatis; quam proinde non amittit per nuptias, cum non repugneret, tandem subesse marito quoad regimen familij, educationem liberorum, & alia officia matrimonii; præesse vero quoad gubernationem politicam Reipublicæ: partim, quia potestas Regia, ex lege delata, injure non alio, quam successionis, aut electionis transeat in alios, non potest sine consensu Ordinum titulo dotis transscribi in maritum. Non etiam secundum: partim, quia suprema potestas, ex institutione Regni ad unum capit restricta, non potest sine consensu Ordinum scindi in duo capita: partim, quia regimenterale summe noceret bono publico: si enim imperia colliderentur, ac in diversas partes obstinare renderent, via non supereffet discordia tollendæ, quia nemo suppeteret, cuius suffragio pars una vinceret. At neque tertium dici potest. Vel enim administratio Regni tam ampla marito cederet, ut etiam repugnante Reginæ statuere pro authoritate posset; vel tam restricta, ut sine consensu Reginæ nihil posset. Administratio prioris generis supponeret alienationem quandam regni, cui proinde suffragari deberet consensus Ordinum. Administratio posterioris gene-

ris summè noceret bono publico ; quia, si marito statuenter *Regina* contradiceret, via non superesset discordiæ tollendæ. Confer *P. Suarez Lib. 3.*

*De LL. cap. 9. n. 10. & seq.*

*Quarto*, leges civiles potest condere Princeps etiam infidelis, aut hereticus; quia potestas ferendarum legum civilium est merè naturalis, adeoque non desiderat in subjecto suo donum fidei, utpote supernaturale.

*Quinto*, etiam infans, aut furiosus, legitimus coronæ successor; non quidem per se ipsum, sed per tutores suos, vel curatores. Neque enim infans Princeps in nudam spem Imperii adolescit, sed ubi fato concessit Rex pater, maiestatis ac purpuræ gloriæ protinus circumfunditur. Neque refert, quod curam boni publici sustinere adhuc nequeat. Nam etiam Rex, soinno oppressus, aut vino gravis, non sufficit sustinenda moli publicæ; nec tamen dicere possis, quod in illo mentis deliquio supremâ potestate suâ cadat. Tutores itaque, tempore vagientis purpuræ gubernaculo admoti, non fulgent majestate temporariâ; sed velut merissimi administrî regnum moderantur.

Contra, non potest legem civilem ferre, *primò SS. Pontifex* pro universo orbe Christiano: partim, quia potestas, quam accepit à Christo, est potestas clavium; quâ designatur potestat spiritualis, ordinata ad animas, in viam salutis dirigendas: partim, quia neque propagatio fidei, neque conveniens gubernatio Ecclesiæ exigebat, ut in universum orbem Christianum *SS. Pontifex* obtineret temporale imperium: partim, denique, quia in *cap. 6. De maior. & obed. cap. 13. De jud. & cap. 13. Qui fil. sunt lg. ipsi* Pontifices profidentur, quod Reges & Principes supremâ potestate temporali polleant. Facto sane, constitutiones civiles à Pontifice quandoque reformari. Sed meritò! Si enim bonis moribus repugnant, aut peccatis ansam præbeant, ad munus supremi Pastoris pertinet impedire peccata, autoritate publicâ subnixa, ac occasionem eorum tollere. Abrogat itaque *SS. Pontifex* constitutiones civiles, iniquitatis reas, non titulo supremæ potestatis politice, sed jure potestatis, quam accepit à Christo, ac vi cuius ea omnia potest inter fideles exequi, quæ conducere judicaverit ad obtinendam spiritualē salutem animarum.

*Secundo*, non potest leges civiles ferre Imperator pro tuto orbe.

Tametsi enim *Bartolus*, qui cæteroquin JCTorum Antesignanus salutatur, ausus sit dicere, Imperatorem totius orbis esse dominum, ac eo temeritatis processerit, ut hæreticos proclamaret, qui præfractè contrarium defenderent: absurdam tamen hanc, ac non unâ cruce, liturâque dignam sententiam nemini sano persuaserit. Quid enim? si Imperator dominium obtineret in universum orbem, prærogativam hanc juri vel Divino, vel naturæ, vel humano referret in acceptis. Nihil horum fine manifestâ absurditatis notâ dici potest. Non primum: quia in sacris paginis nullibi asseritur, quod fascibus Imperatoris Deus universum orbem subjecerit. Non secundum: quia dominium in totum orbem ad congruam & convenientem gubernationem generis humani non est necessarium. Non denique tertium: si enim dominium illud niteretur jure humano, tunc vel titulo belli, vel liberæ electionis. Non titulo belli: quia de nullo Imperatore legitur in historiâ, quod universum orbem vicitricium armorum gloriâ peragraverit, tantum abest, quod subjugaverit. Non etiam titulo liberæ electionis: quia historiæ altissimè silent de comitiis illis, in quibus genus humanum Imperatorem orbis dominum reauniavit. Scio sanè quos colores absurdissimæ opinioni suæ obducat *Bartolus*. Sed velim, manum compressisset, ac ficalnea argumenta altissimo silentio defodisset.

*Tertio*, non possunt legem, stricte dictam, ferre Proceres Imperij arg. l. ult. §. i. C. De LL. Tametsi enim ingenti Authoritate polleant, ac, ut praxis hodie loquitur, tantum possint in ditionibus suis, quantum Imperator in Imperio: Majestate tamen non fulgent, cōque respectu legem, propriè dictam, non possunt condere arg. d. l. ult. §. i. Interim Ordinationes Provinciarum libere consribunt, etiam juri communi contrarias, neque Imperatoris consensu indigent. Myler De Princ. & Stat. Imp. Part. 2. cap. 39. n. 13. Lauterbach ff. De Leg. §. 5.

### §. V.

### Qui teneantur Legibus.

#### SUMMARIA.

1. *Teneantur legibus*, qui pollent usum rationis, ac sunt veri, aut quasi subdici illius Republica, pro quod lata sunt.
2. *Legibus servient*. mentis capi Legibus non co-

natur: cibis, vel qui legem ignorant, re-

nuntur.

3. Obligatio legis supponit ex parte obligantis per seipsum in personam.

4. Teneantur legibus civilibus, Princeps, Clerici, absentes loco, in quo obtinent domicilium, advena, vagabundi?
5. Vix legum est vel dirigens, vel cogens: & vix dirigens quandoque directe ad nos pertinet, quandoque indirecte.
6. Legislator non tenetur vi legum suarum cogente.
7. Legislator ne quidem tenetur vi legum suarum dirigente, directe, seu virtute per legem intenta.
8. Quando lex resipicit materiam, subditus propriano. Legislator ne quidem indirecte lege suâ tenetur.
9. Quando lex resipicit materiam, Principi & civibus communem, tenetur Princeps lege sicut saltem indirecte.
10. Clericis non tenentur vi legum civiliū cogente.
11. Clericis ne quidem tenentur vi legum civiliū dirigente, directe, seu virtute per legem intenta.
12. Quando leges civiles disponunt de personis, suis rebus Ecclesiasticis, vel dedecent statum Ecclesiasticum, ne quidem indirecte porrigitur ad Clericos.
13. Quando leges civiles astringunt materiam, que respectis bonam gubernationem Reipublice, indirecte saltem porrigitur ad Clericos.
14. Obligatio servandarum legum civiliū, quā disstringuntur Clerici, fundatur partim in iure natura, partim in voluntate SS. Pontificis.
15. Quando subditi neque physice, neque moraliter existit in territorio, non tenetur legibus territorij.
16. Ut subditi se committant in leges territorij, non requiriunt praesentia eius physica, sed sufficiuntur morali.
17. Quando peregrinus regionem aliquam eo animo ingreditur, us perpetuū ibi consisteret, non tenetur loci legibus.
18. Peregrinus tunc etiam tenetur loci legibus, quando regionem aliquam eo animo ingreditur, ut maiore anni parte illuc conmoretur.
19. Si ea lex imparet, quorum praestatio supponit subjectionem propriè dictam, ad peregrinos non pertinet.
20. Quando lex communis in loco domiciliū non est recepta, observare illam tenetur in loco, ubi viges, esto eo sine accesserim, ut proximus recederem.
21. Etiam illas leges extra locum domiciliū observare tenetur, qua pro conservatione provicia, quam adī, specialiter sursus lata.
22. Illas quoque leges extra locum domiciliū observare tenetur, quibus determinantur forma contractuum.
23. Leges reliquias, in loco, quem adī, receptas, observare non est nec, si eo animo accesserim, ut breve tempus ibi consisterem.
24. Solvitur obiectio quadam.
25. Neque usq̄ tenentur legibus loci, per quos transiens.

**S**ubjectum legum civilium sunt ij, qui nexū earum constringuntur. Ubi formari potest regula generalis, nimirum omnes constringi civilium legum vinculo, qui pollent usu rationis, ac sunt veri, aut quasi subditi illius Reipublicæ, pro quâ latæ sunt.

Unde advertis, duo requiri, ut vis legum civilium ad te petteat. 2 Primo, ut usu rationis polleas. Lex siquidem est moralis regula humanae actuum, adeoque dirigere non potest eos, qui sunt inhabiles ad vim legis intelligendam. Hinc infantes, furiosi, mente capti, legibus non tenentur; adeoque non peccas, si die jejunii esculenta carnea iisdem porregas; quia lex jejunij ad prædictas personas planè non pertinet. Di-

versum obtinet, si furiosum, aut mente captum inducas, ut hominem per-  
rimat, ut lectum alienum nefariâ libidine concutiat, aut flagitium aliud  
admittat, jure naturæ prohibitum; tunc enim gravi scelere te obstringis;  
quia furioso utebis, tanquam instrumento, ad nefas perpetrandum, adeo-  
que facti improbitas tibi, tanquam causæ principali, adscribitur. *Clariss.*  
*Dn. P. Paulus Mezger Disp. Theol. de Leg. cap. 5. §. 5. n. 6* Similiter, si ebrio,  
aut illi, qui legem inculpabiliter ignorat, actum, jure prohibited, per-  
suadeas, culpâ non vacas; quia memoratæ personæ tenentur legibus:  
quamvis ob ignorantiam, vel ebrietatem, à culpâ & poenâ sint immunes,  
si legem violent. Hinc, dum ab ebrio, aut ignorante obtines, ut die je-  
junij carnes comedat, peccas, quia concutris, tanquam causa, ad actum,  
in se prohibited. *Palao tract. 3. disp. 1. punit. 24. §. 2. n. 10. & seq.*

3 Secundò, requiritur, ut sis verus, aut quasi subditus illius Reipubli-  
cæ, pro quâ lex lata est. Obligatio legisquidem supponit ex parte ob-  
ligantis potestatem in personam; adeoque nisi Legislatori sublis, non  
potes ab eodem legum vinculo constringi, quia sine potestate imperan-  
di non consurgit obsequendi necessitas.

4 Sed hic occurrit ingens turba hominum, de quibus dubites, an te-  
neantur legibus civilibus? Aciem præcedit ipse Princeps: sequuntur Cle-  
rici: absentes loco, in quo habent domicilium: advenæ: confuso ordi-  
ne agmen claudunt vagabundi.

5 Lubet de omnibus hisce personis distinctè agere; ubi tamen prius  
advertero, vim legis esse duplēm, dirigentem, & cogentem. Dirig-  
ens dicitur, quæ conscientiam obstringit. Cogens, quæ trans-  
gressorem poenæ temporali reddit obnoxium. Vis dirigens quandóque  
directè ad nos pertingit, quandóque indirectè. Directè, si ratio, cur  
lege teneamur, stet in voluntate Legislatoris. Indirectè, si occasione  
legis consurgat in nobis obligatio. Sic v. g. subditus directè tenetur le-  
gibus, pro territorio, in quo moratur, lat. Contra, si non subditus  
juramento se obstringat, quod observare velit leges provinciæ alienæ,  
iisdem tenetur quidem, non tamen virtute, per legeni intentâ, sed viju-  
ramenti. Sit jam

ASSERTIO I. Legislator non tenetur vi legum suarum cogente.  
Ita omnes.

*Probatur.* Legislator non agnoscit in terris superioribus à quo castigetur: ergo non tenetur vi legum suarum cogente; quia impositio poena supponit ex parte infigenris jus superius; quod repugnat respectu supremi Principis.

**ASSERTIO II.** Legislator ne quidem tenetur vi legum suarum dirigente, directe, seu virtute, per legem intentam. Ita Doctores, quos infra dabo.

*Probatur.* Vis tota legis pendet à voluntate Legislatoris: ergo non alios obstringit, quam quos Legislator vult obstringere. At dum legem condit, non id agit, ut se, sed ut alios obstringat: ergo ipse Legislator lege suâ non tenetur. *Confirmatur.* Obligare legaliter, supponit ex parte obligantis jus superius; ergo Legislator non potest se ipsum obligare legaliter; quia non potest se ipso esse superior.

**ASSERTIO III.** Quando Lex respicit materiam, subditis propriam, Legislator ne quidem indirecte tenetur lege suâ. Ita omnes.

*Probatur.* Recta ratio non jubet, ut Princeps subditis suis in iis se conformet, quorum observantia non decet statum, ac dignitatem Principis: v. g. ut abstineat ab usu purpuræ, si usum hujus subditis interdixit: ergo quando Lex concernit materiam, subditis propriam, ne quidem indirecte porrigitur ad Principem.

**ASSERTIO IV.** Quando Lex respicit materiam, Principi & cibis communem, tenetur Princeps lege suâ saltem indirecte. Ita *Palae tract. 3. disp. 1. punit. 2. s. 1. n. 3. Haunold. tract. 1. de Just. & Jur. cap. 1. controv. 6. s. 1. n. 54. Clariss. Dn. P. Paulus Mezger Disp. Theol. de Leg. cap. 5. s. 5. n. 2. & 3. Clariss. Dn. Collega P. König Lib. 1. Jur. Can. sit de Constitut. n. 10. & plures alij.*

*Probatur.* Princeps tenetur vi officii, atque adeò, jure naturæ bono publico consulere, ac subditos, tum verbis, tum exemplis ad virtutem, legumque obedientiam insisteret: quem finem non melius asservitur, quam si ipse præstet, quod exigit ab aliis, ac leges, à se latas, exemplo suo comprobet: ergo tenetur jure naturæ obtemperare legibus, à se latis. Hinc digna vox majestate imperantis esse dicitur, legibus aliquatum se profiteri; nihilque magis imperio Principis convenire creditur, quam Leges, à quorum vinculo videtur immunis, servare. *l. 4. C. De Gg LL. §.*

*LL. §. fin. Inſt. Quib. mod. teſtam. infirm. l. 3. C. de teſtam. l. 23. ff. De Leg. 3.*

**10 ASSERTIO V.** Clerici non tenentur vi legum civilium cogente. Ita omnes.

*Probatur.* Clerici absolute sunt exempti à jurisdictione & potestate Principum ſecularium cap. 10. *De conſt.* ergo puniri non poſſunt à Principi- bus ſecularibus; quia impositio poenæ ſupponit ex parte imponentis imperium, ac jus in personam. *Confirmatur.* Dedecet statum Eccleſiaſticum, Clericos in eminentiore vitæ gradu conſtitutos, ab hominibus inferioris ordinis puniri: ergo clerici puniri non poſſuunt à Principi- bus ſecularibus.

**11 ASSERTIO VI.** Clerici ne quidem tenentur vi Legum civilium dirigente, directe, seu virtute, per legem intentâ.

*Probatur ex d. c. 10. De conſt. cap. 12. De reb. Ecclef. alien. can. 1. diſt. 96. can. Inter hac 6. cauſ. 33. queſt. 2. in quibus locis absolute dici- tur, quod clerici ſint exempti à potestate Principum ſecularium: ergo non tenetur vi legum civilium dirigente; hæc enim ſupponit ex parte ob- ligantis potestatem in personam, & jus ſuperius. Confirmatur.* Non poſtulat recta gubernatio Reipublicæ, ut vis dirigens legum civilium di- recte porrigatur ad clericos; quia ſi quoquaque tandem jure obſervare teneantur leges civiles, resultat actionū æqualitas inter membra ejusdem Reipublicæ: ergo gratis dicitur, quod vis dirigens legum civilium di- recte porrigatur ad clericos.

**12 ASSERTIO VII.** Quando leges civiles diſponunt de personis, aut rebus Eccleſiaſticis; vel materiam attingunt, cuius obſervatio non decet statum Eccleſiaſticum, ne quidem indirecte porriguntur ad clericos.

*Probatur.* Ratio æquitatis non poſtulat, ut clerici obſeruent Leges invalidas, aut quas ſine diſpendio eminentiæ ſuæ ſervare nequeunt: er- go quando leges civiles diſponunt de rebus, aut personis Eccleſiaſticis; vel materiam attingunt, cuius obſervatio non decet statum Eccleſiaſti- cum, ne quidem indirecte porriguntur ad clericos.

**13 ASSERTIO VIII.** Quando leges civiles attingunt materiam, quæ reſpicit bonam gubernationem Reipublicæ, ac obſervari potest ſine of- fendiculo eminentiæ Eccleſiaſticæ, indirecte ſaltem porrigitur ad cle- ricos.

**Probatur.** Clerici sunt veri cives Reipublicæ; quia cum sacerdatis bus in unum corpus morale eo fine coalescunt, ut commoda percipi- ant, sine quibus consurgere non posset felix status vitæ nostræ: ergo in iis, quæ pertinent ad conservationem Reipublicæ, ac eò tendunt, ut de- tur conveniens ordo inter membra Comunitatis, ut pax & tranquilli- tas publica efflorescat, ut justitia dispendium non subeat, tenentur se conformare membris reliquis, quia ceteroquin non expediret, in par- tem communitatis eosdem recipi.

**ASSERTIO IX.** Obligatio servandarum legum civilium, quâ di-  
stringuntur clerici, fundatur partim in jure naturæ, partim in volunta-  
te SS. Pontificis. Ita Clariss. Dn. P. Paulus Mezger Disp. Theol. de Leg.  
cap. 5. §. 5. n. 5. & Clariss. Dn. Collega P. König Lib. I. Jur. Can. tit. de Const. n. II.

**Probatur membrum primum.** Clerici sunt pars, & quidem nobili- or Reipublicæ politicæ: ergo in iis, quæ pertinent ad felicem statum & conservationem Reipublicæ, tenentur se conformare membris reliquis; quia turpis est pars, quæ non congruit eum suo toto. **Confirmatur.** Ra- tio naturalis dictitat, ut in iis, quæ pertinent ad conservationem, & feli- cem statum totius, pars conformat se toti: ergo ratio naturalis dicti- tat, ut in iis, quæ pertinent ad conservationem & felicem statum Rei- publicæ, clerici conformat se membris reliquis. **Promovetur argu- mentum.** Obligatio servandi pondera, mensuras, & pretia rerum: non evadendi frumentum tempore necessitatis publicæ: vitandi loca, con- tagioni obnoxia; ex unâ parte non dedecet eminentiam Ecclesiasticam; ex alterâ vero respicit bonum statum Comunitatis politicæ: ergo affi- cit etiam clericos; nam hi quoque, tanquam membra Comunitatis, tenentur studere bono publico.

**Probatur membrum secundum.** SS. Pontifex non uno tantum loco ap- probat leges civiles, immunitati Ecclesiasticæ, ac æquitati non adversas, jubetque, ut observentur cap. 1. De nov. oper. nant. cap. 28 De privil. cap. 12. in fin. De arbitr. can. De capitulis 9. dist. 10. can. cum ad verum 6. dist. 96. ergo leges civiles, immunitati Ecclesiasticæ, & æquitati non adversas, tenentur observare clerici ex voluntate ipsius SS. Pontificis.

**ASSERTIO X.** Quando subditus neque physicè, neque morali-  
~~mag~~ existit in territorio, non tenetur legibus territorii.

*Probatur.* Leges non respiciunt, nisi locum, pro quo feruntur, cui felicitatem conciliare properant: ergo non extenduntur ad subditos, physicè & moraliter absentes; ab his enim, arbitrio suo agentibus, damnum non imminet territorio. Evidem possunt subditi, physicè & moraliter absentes, obstringi præcepto. Sed à præcepto ad legem idoneum non duxeris argumentum. Disparitatem optimam reddit *Hannoldus*: nam præceptum respicit privatam utilitatem subditi, cui proinde expedit, ubique obstringi posse: lex verò ultinò respicit felicitatem territorii, quæ non offenditur, esto subditi pro arbitrio agant alibi.

**ASSERTIO XI.** Ut subditus committat in leges territorii, non requiritur præsentia ejus physica, sed sufficit moralis. Ita *P. Hannoldus* tract. 1. de Jus. & Jur. cap. 1. controv. 6. §. 2. n. 28. & *Clariss. Dn. Colleg. P. König* ubi supran. 15.

*Probatur.* Quando subditus absens ponit in territorio actionem probitam, vel non ponit actionem præceptam, non minus delinquit in leges territorii, quam si corpore præsens esset: ergo ut subditus committat in Leges territorii, sufficit, moraliter ac virtute præsentem esse. *Confirmatur.* Debebat Legislator certas actiones præcipere, vel interdicere posse subditis, etiam alibi commorantibus; alioquin careret potestate, necessaria ad bonum & felicem statum territorii: ergo si subditus, tanquam causa moralis, ponat in territorio actionem prohibitam, vel non ponat actionem præceptam, non minus peccat in Leges territorii, quam si physicè præsens esset. Hinc si lex jubeat, ut annis singulis cives omnes convenient, ac Principi, aut magistratui juramentum subjectionis præstent, etiam subditus absens lege hactenetur; quam preinde transgreditur, si tempore definito non compareat. Similiter, si in loco, ubi domicilium obtines, supplicium rotæ veneficio sit præstitutum, penam hanc incurris, esto ex territorio alio venenum transmisericis; quia moraliter deliquisse censeris in ipso territorio, cum flagitium ibi voluntate tuâ completum fuerit. Certè, parum prospectum esset disciplinæ publicæ, si subditis, physicè absentibus, offendere liceret quietem territorii; cum parùm intersit, per causam physicam, an moralem, vincula tranquillitatis publicæ dissolvantur.

**ASSERTIO XII.** Quando peregrinus regionem aliquam eo animo ingreditur, ut perpetuò ibi consilat, tenetur loci legibus. Pro-

*Probatur.* Qui perpetuae commorationis gratia regionem aliquam ingreditur, sortitur ibi domicilium l. 2. 3. 9. §. 2. ff. *De V. S. l. 7. C. De incol.* ergo tenetur loci legibus; quia subjicitur jurisdictioni eius, qui imperium illic obtinet l. 2. 9. ff. *Ad municip. de incol.*

**ASSERTIO XIII.** Peregrinus tunc etiam tenetur loci legibus, quando regionem aliquam eo animo ingreditur, ut majore anni parte illic commoretur.

*Probatur.* Qui longioris commorationis gratia regionem aliquam ingreditur, sortitur ibi quasi domicilium, ut communiter tradunt *D. Etates*: ergo tenetur loci legibus.

Plane, si ea lex imperet, quorum praestatio supponit subjectionem propriè dictam, ad peregrinos, in loco commorantes, non pertinet. Hinc studiosi, ac personæ id genus aliæ, non tenentur suscipere tutelas, vel subire munera, id genus alia; quia horum praestatio non alias onerat, quam subditos, verè tales; in quem censum studiosi non pertinent, cum in loco studiorum domicilium, propriè dictum, non obtineant l. 2. l. 3. C. *De incol.*

**ASSERTIO XIV.** Quando lex communis in loco domicilij non est recepta, observare illam teneor in loco, ubi viget, esto eo fine accessum, ut protinus recederem.

*Probatur.* Lex communis, per se, ubique obligat: ergo esto in loco domicilij vim non habeat, extra tamen, ubi viget, me obstringit, si ibi degam; quia immunitas, quam obtineo in patria, debet restrictè accipi, cum à jure communii exorbiteret.

**ASSERTIO XV.** Etiam illas leges extra domicilium obserware teneor, quæ pro conservatione ac indemnitate provinciæ, quam adii, specialiter sunt latæ.

*Probatur.* Quando eo fine certæ leges feruntur, ut speciale damnum à provinciâ avertant, quod æq; consurgere potest ex personis advenarum, quam incolartim, debent obstringere advenas; alioquin non sufficienter consulerent indemnitatî provinciæ: ergo id genus legibus non minus constinguntur advenæ, quam incole. Hinc, si anterioris annorum curandæ gratia, lex jubeat, ne frumentum portetur ex-

tra provinciam, lege hac obstringuntur quoque advenæ, quia, nisi teneantur, consultum non esset necessitati provinciæ.

**22 ASSERTIO XVI.** Illas quoque leges extra locum Domicili observare teneor, quibus determinatur forma contractuum.

*Probatur.* Quando extra Domicilium in loco aliquo contraho: fortior ibi forum, ita ut conveniri possim; dummodo non eo animo venerim, ut confestim discederem *l. 19. §. 1. & 2. ff. De Jud. cap. ult. De for. compet.* ergo teneor observare solennitates, contractui ibidem præfinitas; nisi velim, ut in caducum parietem contractus inclinet.

**23 ASSERTIO XVII.** Leges reliquas, in loco, quem adii, receptas, observare non teneor, si animo accesserim, ut ad breve tempus ibi consisterem. *Ita P. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 18. n. 6. & Lib. I. in Decal. cap. 12. n. 38. Less. De Just. & Jur. Lib. 4. cap. 2. dub. 7. n. 49. Layman. lib. 1. Theol. mor. tract. 4. cap. 12. n. 4. Haunold tract. 1. de Just. & Jur. cap. 1. controv. 6. n. 76. Clariss. Dn. P. Paulus Mezger disp. Theol. de Leg. cap. 5. §. 5. n. 12. & plures alii.*

*Probatur.* Quando co animo provinciam alienam ingredior, ut post breve tempus iterum discedam, non subjicior loci jurisdictioni & imperio; quia neque domicilium ibi contraho, neque ex contractu, delicto, vel causâ aliâ, forum fortior: ergo non obstringor particularibus loci legibus, quia obligatio, ex lege resultans, supponit ex parte obligantis jus in personam.

*Confirmatur.* Non constat sufficienter, quod Legislator constitutionibus sui territorii obstringere velit advenas; quia nullo jure id expressum invenias: ergo obstringere velle non censetur: contra illum enim, qui legem conscribere potuit apertius, facienda interpretatio cap. 57. *De R. J. in 6.* Promovetur argumentum.

In dubio præferenda pars mitior & benignior *L. 9. l. 56. l. 192. §. fin. ff. De R. J.* Sed est dubium, an particularibus provinciæ legibus obstringantur advenæ; quia est sententia certò probabilis, quod non obstringantur: ergo præferenda pars mitior.

*Deinde, sic arguo.* Non postulat pax, tranquillitas, ac felix status provinciæ, ut particularibus provinciæ legibus obstringantur advenæ; quia ex unâ parte suppono, leges non eò respicere, ut speciale damnum à provinciâ avertant; ex alterâ vero parte periculum non versatur, ne insolæ occasionem arripiant legum

lfernendarum : huic enim pericnlo aliunde jam sufficienter est prospectum, cum advenæ ipso jure naturæ teneantur conformare se loci legibus, si versetur periculum scandali: ergo gratis & sine sufficiente fundamento asseritur, etiam secluso scandalo, aliquisque incommodis, jure naturæ prohibitis, particularibus loci constitutionibus advenas obstringi.

Unde in vanum laboras, si ita colligas. Quando advena peccat in jus naturæ, vel gentium, puniri potest in loco admissi ; quia interest Reipublicæ, scandalum, scelere datum, exemplo pœnae reparari: ergo potest etiam puniri, si peccet in particolare jus loci ; quia interest Reipublicæ, scandalum, transgressione legis datum, exemplo pœnae reparari. Sed nego, & pernego, advenam delinquere, si scandalo secluso, jura loci non observet. Quod si versetur periculum scandali, fateor sanè, delicti reum esse, ac puniri posse: non ideo tamen, quod legem loci violaverit; sed quia peccavit in jus naturæ, quo distictè prohibeimur dare scandalum.

**ASSERTIO XVIII.** Neque vagi, sive, qui nullibi certam sedem, 25 certumque larem habent, tenentur legibus loci, per quem transeunt. Ita *Less. ubi supra & Layman cit. loc. n. ult.*

*Probatur.* In vagos, ex unâ parte, ob defectum domicilii, nemo jurisdictionem obtinet; ex alterâ verò parte, non postulat recta gubernatio politica, ut, secluso scandalo, aliquisque incommodis, jure naturæ prohibitis, particularibus locorum legibus obstringantur: ergo non obstringuntur.

#### §. IV.

#### De objeclo legum.

##### S U M M A R I A.

1. Præcipi possunt, non ea tantum, que iustitiam particularē, sed etiam, que alias virtutes promovent.
2. Prohibiri possunt, non mala tantum, sed actiones etiam honestas.
3. Permitti possunt, non honestas tantum, sed etiam inhonestas.
4. Possent actus internus lege humana præcipi, aut prohibiri?
5. Actus, merè internus, non potest lege civili præcipi, aut prohibiri.
6. Actus merè internus, potest præcipi, aut prohibiri, iure sicut Canonico,
7. Subiicitur objecio quadam.

O Bjectum legis sunt ea, quæ lege præcipiuntur, prohibentur, aut permittuntur. Præcipi possunt, non ea tantum quæ iustitiam par-

ticularem promovent; sed etiam, quæ conduceunt ad virtutes alias: nam finis legum stat in felicitate communitatis; qui finis non obtinetur, an si pleræque virtutes incommunitate florent. Cavere tamen debet Legislator I. ne præcipiat inhonestæ; quia lex, vi essentiæ, debet esse moralis regula honestæ operationis. II. ne impossibilia; quia ad impossibile nemo tenetur *l. 185. ff. De R. J. cap. 6. eod. sit. in 6. III. ne nimis ardua:* lex enim debet accommodata esse fragilitati hominum, atque adeò non præbere occasionem, moraliter certam, frequentissimis transgressionibus formalibus; alioquin deflecteret à naturâ legis, quia plus incommodi, quam commodi afferret Reipublicæ, pro quâ fertur.

<sup>2</sup> Prohiberi possunt, non ea tantum, quæ per se mala sunt, vel indifferentia; sed actiones etiam honestæ si in certis circumstantijs bono publico non conduçant, aut fini, per legislatorem intento, adversentur. Sic, licet per se bonum sit, administrare iustitiam; lex tamen prohibet, ne administretur die feriato *l. 7. l. ult. C. De feriis.*

<sup>3</sup> Permitti possunt, non honesta tantum, sed inhonestæ quoque, si fragilitas hominum lenitatem hanc postulet; aut spes non vana subsistore, ut indulgentiâ tali via flagitijs majoribus præcludatur.

<sup>4</sup> Ingenti Authorum dissentientium numero frequentata quæstio est, posse actus internus lege humanâ præcipi, aut prohiberi? Non pauci distinctionem adhibent, & actum, merè internum, separant ab actu interno, qui per se jungitur cum actu externo, vel ad moralem estimationem pertinet operis externi. Actum prioris generis negant lege humana posse præcipi, aut prohiberi. Actum posterioris generis contendunt posse præcipi, aut prohiberi. Quando enim lege præcipitur opus externum, præcipiuntur simul omnia, quæ pertinent ad moralem estimationem operis externi; adeoque præcipitur quoque actus internus, si absque hoc consistere nequeat opus externum. Ego distinctionem aliam adhibeo, ac jux civile secerno à jure Canonico.

<sup>5</sup> ASSESTITIO. I. Actus, merè internus, non potest lege civili præcipi, aut prohiberi.

<sup>6</sup> Probatur. Actus, merè internus, planè non conducit ad finem, à lege civili intentum; finis enim ille stat in felicitate externâ, & politica Reipublicæ; quem finem neque promovet, neque impedit actus,

merè internus: ergo non cadit sub legem civilem; quia actus, non substans fini legis, non cadit sub legem.

ASSERTO. Actus, merè internus, potest præcipi, vel prohiberi jure saltem Canonico. Ita, relatis alijs, *P. Carden. par. 2. Cris. Theot. disp. 26. cap. 7. n. 51.*

*Probatur.* Potestas ligandi, quam Christus Dominus contulit Petro, ac ejus successoribus, concessa fuit planè generaliter, ac sine restrictione ad actus externos, vel mixtos: ergo porrigitur etiam ad actus merè internos; quia, dum constat, potestate sine adjectâ limitatione concessâ esse, resultat moralis certitudo, absolute concessam esse, cum potestari certæ officere non debeat limitatio dubia. *Confirmatur.* Potestas ferendarum legum, quam Christus Dominus contulit Petro, ejusque legitimis successoribus, per se respicit finem supernaturalem, nempe sanctitatem internam hominum, atque adeò felicitatem vitæ æternæ: ergo porrigitur etiam ad actus merè internos; hi enim magis conducunt ad finem illum, quam actus externi, cum isti sine charitate internâ vim merendi non obtineant. *Promovetar argumentum.* Potest Prælatus regularis præcipere actum, merè internum; quia regulæ multarum Religionum præcipiunt orationem internam, quam proinde si in virtute sanctæ obedientiæ jubeat Prælatus, sine peccato omittere non potest Religiosus subditus: ergo etiam Legislator Ecclesiasticus præcipere potest actum, merè internum. Ideo enim id potest Prælatus regularis, quia actus merè internus conduceat ad finem, à regulâ intentum: ergo id ipsum poterit Legislator Ecclesiasticus, quia actus merè internus conduceat ad finem, à regimine Ecclesiastico intentum.

Evidem fateor, quod Ecclesia judicare nequeat de actibus merè internis *cap. 3. 4. De Simon.* Sed quid tum postea? Tametsi enim, per se loquendo, lex dupli virtute polleat, dirigente, & cogente: inter unam tamen & alteram connexio tam arcta non intercedit, ut separari nequeant: praesertim si Lex respiciat finem supernaturalem; hunc enim potest assequi, licet virtute cogente non polleat, quia homines, qui ad vitam æternam adspirant, magis horrent conscientiam delicti, quam suppli- cium temporale ac externum. Deinde, Legislator tehetur lege suâ indirecte, nec tamen distinguit virtute cogente. Similiter, clericus re-

netur Legibus civilibus indirecte, nec tamen tenetur virtute cogente: ergo inter virtutem dirigentem Legis, & cogentem connexio tam acta non intercedit, ut separari nequeant. Ad hæc, actio mixta cadit sub Legem Ecclesiasticam, esto Ecclesia judicatore queat de intentione intentione; quia si præfacte afferam, quod legi obtemperaverim, probatio non succurrit, quâ reus agas temerare legis: ergo si actus mixtus cadit sub Legem Canoniceam, cadit quoque actus merè internus.

## §. VIII.

## De Formâ Legis.

## SUMMARIA.

1. Quomodo Lex differat à præcepto & consilio?
2. Ad Legem requiritur solennus promulgatio.
3. Sufficiens ad Legem promulgatio, facta in Metropoli.
4. Ad Leges Imperij requiritur, ut in quavis prævinciis promulgantur.
5. Id ipsum requiritur ad Leges Canonicas.
6. Stylus Curia Romana non recte opponitur huius sententie.
7. Neque à Bullâ cana, & regulâ Cancellaria ducipotest solidum argumentum.
8. Leges Canonicae non aliter obligant, quam si post promulgationem tempore bimostre sit.
9. Requiraturne ad efficaciam Legis acceptatio populi?
10. Postea ferendarum Legum Ecclesiasticarum, per se, non pendet ab acceptatione populi.
11. Neque potestas ferendarum Legum civilium, quam in Imperio Romano supremus Princeps obtinet, per se, pendet ab acceptatione populi.
12. Efficacia Legum Canonistarum non quidem ex indulgentia SS. Pontificis pendet ab acceptatione populi.
13. Neque obloquitur textus in cap. 6. De Cler. conjugi.
14. Non quidem efficacia Legum civilium, ex inspectio Principiis, pendet ab acceptatione populi.
15. Non obstante textu in l. 33. s. 1. R. De LL. populi.

**F**orma Legis est vel interna, vel externa. Interna stat in differentiâ specificâ, quâ distinguitur tum à præcepto, tum à consilio. A præcepto differt, quia Lex procedit ab eo, qui supremam in Republicâ potestatem obtinet; ac per se respicit bonum totius communitatis; suâque naturâ inducit obligationem stabilem & perpetuam: præceptum verò imponitur à quolibet, qui potestatem habet gubernandi alios, adeoque etiam à domino, à patrefamilias; ac personis id genus aliis; neque per se respicit bonum commune; sed bonum privatum eorum; quibus imponeatur: nec denique, per se, operatur obligationem stabilem & perpetuam, sed cum morte præcipientis regulariter extinguitur. A consilio differt: hoc enim non procedit à superiori; quâ tali; neque respicit bonum publicum; nec denique obligationem inducit; quia in meo stat arbitrio, velimne exequi, quod alter mihi consuluit.

*Forma externa Legis* stat in solenni promulgatione eius. Lex si quidem est iusso publica, directa ad totam Communiteatem l. 9. C. De LL. ergo per se debet posse percipi à totâ Communitate; quo modo non potest percipi, nisi publicè ac soleniter promulgetur.

Illud vehementer agitari video, requiraturne ad efficaciam legis, ut promulgetur in singulis provinciis, an sufficiat promulgatio, facta in metropoli?

Conveniunt Authores, Legibus Imperii non aliter constare efficaciam, quam si in quavis provinciâ promulgantur, ac à promulgatione factâ tempus bimestre sit lapsus. Colligitur satis ex Nov. 66. cap. 1. quæ constitutio, tametsi agat de Legibus testamentariis; communibus tamen peritorum calculis trahitur etiam ad Leges alias; quia Rubrica, citatæ constitutioni præfixa, verbis planè generalibus est concepta.

An vero idem procedat in Legibus Canonicis, impensè controvèrtitur. Censo, ne quidem Legibus Canonicis efficaciam aliter constare, quam si in singulis provinciis promulgata fuerint: cui parti subscribunt, Melina *De Iust. & Jur. diss. 395. Gibrilin. Lib. 7. Scient Can. cap. 2. quest. 1. n. 7. ac novissime Clariss. Dn. Collega P. König. Lib. 1. Jur. Can. tit. De const. n. 20. affer. 2.* Moveor in hanc sententiam sequentibus argumentis. Primum desumo ex cap. 13. *De remiss. ubi constitutio, quâ medici, vocati ad infirmos, ante omnia curare jubentur, ut accersatur in medicus animæ, non prius obligate dicitur, quam à Prælatis locorum promulgata fuerit:* ergo idem obtinet in constitutionibus aliis. Deinde, Pontifex quoad modum ferendarum Legum civilium nusquam derogat juri civili: ergo si ad efficaciam legum civilium requiritur promulgatio in singulis provinciis, requiritur quoque ad efficaciam Legis Canonice arg. cap. 1. *Denov. oper. nuns.* Ad hæc Lex, vi suæ essentia, est iusso publica, directa ad totam Communiteatem: ergo per se debet posse percipi à totâ Communitate. At, nisi promulgetur in singulis provinciis, per se, non potest percipi à totâ Communitate; quia Romana Curia, ut suppono, non constituit, ut in singulatum provinciarum notitiam Lex veniat; alij verò, qui scientiam Legis habent, non tenentur notitiam eius promovere; adeoque planè est per accidens, si provinciis alijs Lex innotescat: ergo ex naturâ rei ad efficaciam legis requiri-

ritur promulgatio in singulis provinciis. Deinde, argumento reflexo evidenter ostendo, ad efficaciam Legis Canonicæ requiri promulgationem in singulis provinciis. Quando enim est dubium, an Lex sufficienter sit promulgata, evidenter non obligat; quia sufficiens promulgatio Legis est essentiale complementum Legis; adeoque quando dubium versatur, an lex sufficienter sit promulgata, possessio stat pro libertate. Sed est dubium, an lex, quæ ad valvas Vaticani Romæ pependit, sufficienter sit promulgata quoad provincias alias; quia est sententia certò probabilis; ad universalem efficaciam Legis canonicæ requiri promulgationem in singulis provinciis: ergo evidenter non obligat; propter principium evidens, quod libertas certa constringi non debet obligatione dubiâ.

6 Sed jam ea, quæ sententiae nostræ opponuntur, dilucemus. Sunt, qui obtendant stylum Curia Romanæ: Romæ enim cause omnes, illuc delatae, deciduntur secundum constitutiones, ibi promulgatas: ergo censet Curia Romana, ad efficaciam Legis Canonicæ sufficere promulgationem, Romæ factam. Sed despicio argumentum hoc. Dum enim Proceres Rotæ Romanæ causas omnes determinant juxta constitutiones, Romæ promulgatas, ideo determinant, quia subscribunt opinioni, sustinenti, ad efficaciam Legis Canonicæ sufficere promulgationem, Romæ factam. Hincvero perperam colligas, opinionem contrariam esse falsam; quia probabilitas unius sententiae non invehit falsitatem opinionis oppositæ.

7 Sunt etiam, qui prætexant Bullam Cœnæ, ac Regulas Cancelleriæ, quæ non alibi, quam Romæ promulgantur, & tamen ubique vim obtinent. Sed nimis confidenter afferis, quisquis afferis, Bullam Cœnæ, & regulas Cancelleriæ sine promulgatione obligare in partibus. Contrarium sustinet eruditissimus P. Gobalinus Lib. 7. sent. Canon. cap. 2. quest. 1. n. 17. & Lib. 9. cap. 4. quest. 3. n. 5. & seqq. Merito sancte! Cùm enim ad efficaciam legis, ex naturâ rei, requiratur promulgatio in partibus, recte colligas, ne quidem Bullam Cœnæ, ac Regulas Cancelleriæ sine promulgatione obligare in partibus.

8 Hinc quoque censeo, leges Canonicas non aliter obligare, quam si post promulgationem tempus binestre sit elapsum: partim, quia ad efficaci-

efficaciam legis tempus hoc requiritur Jure Cæsareo d. Nov. 66. cap. 1. partim quia in constitutione, quam emisit Pius IV. anno 1564. jus civile hoc in passu perspicue firmatum legitur.

Controversiae praecedenti succedit alia, nempe, requiraturne ad efficaciam legis acceptatio populi? In controversia hæc in diversissimas regiones abeunt sententiae, quas refert P. Cardenas par. 2. Cris. Theol. disp. 29. per totam. ubi paradoxa quedam ingeniosissimi Caramuelis, more suo docte, prostituit. Ego eandore ingenuo veritati litabo, ac sine ambagibus aperiam, ejus partis blanditas depeream.

ASSERTO. Potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum, per se, non pendet ab acceptatione populi.

*Probatur.* Potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum, à Christo Domino in Petrum, ejusque Successores collata, sine limitatione ad consensum, & acceptationem populi concessa fuit Matth. 26. ergo non pendet à consensu populi. Quando enim constat, potestatem sine limitatione concessam esse, resultat moralis certitudo, absolute concessam esse; quia potestati certæ officere non debet limitatio dubia. *Confirmatur:* Si potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum per se penderet à consensu populi, non solum Pontifici, sed populo quoque competenter; quia lex non a solo Pontifice, sed à consensu populi quoque vim suam recipere. Sed consequens admitti non potest; quia suprema potestas Ecclesiastica Soli Petro, ejusq; successoribus à Christo concessa fuit, ut evidenter demonstrant Theologi: ergo potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum per se non pendet à consensu populi. *Promovetur argumentum.* Pontifex ad ipsam acceptationem legum suarum Christianos habet obligatos: nisi enim haberet, possent Christiani pro arbitrio nolle recipere leges SS. Pontificis; quod evidenter est falsum: quia Alexander VII. Anno 1665. propos. 28. notam temeritatis inussit doctrinæ, sustinenti, leges, à Principe promulgatas, à populo sine causa repudiari posse: ergo potestas ferendarum legum Ecclesiasticarum, per se, non pendet ab acceptatione populi.

ASSERTO. Neque potestas ferendarum legum civilium, quam in Imperio Romano Supremus Princeps obtinet, per se pendet à acceptatione populi.

*Probatur ex §. 6. h. t. & l. 1, princ. ff. De const. Prince. In quibus locis perspicue dicitur, quod lege Regia populus omne imperium, omnemque potestatem suam in Principem transtulerit. Unde sic arguo. Summa potestas, absolute in Principem translata, in functionibus suis non penderet a consensu populi: ergo neque potestas ferendarum legum civilium penderet a consensu populi; haec enim est pars supremæ potestatis, quæ absolute in Principem translata fuit. Confirmatur. In statu monarchico Imperij Romani solus Imperator leges condic. L. ult. §. 1. C. De LL. ergo potestas ferendarum legum, quam obtinet Imperator, per se non penderet a consensu populi; quia, si penderet, non solus Imperator leges conderet.*

12 **ASSERTIO III.** Efficacia legum canonistarum ac quidem ex indulgentiâ SS. Pontificis penderet ab acceptatione populi.

*Probatur. Potestas ferendæ legis Ecclesiastice per se non penderet a consensu & acceptatione populi, ut paulò ante ostensum fuit: ergo neque penderet ex speciali indulgentia SS. Pontificis; quia nullus textus occurrit in toto jure canonico, quo declareret SS. Pontifex, quod efficaciam legum suarum pendere velit a consensu populi. Confirmatur. Esto in jure Canonico exempla particularia occurrant, in quibus SS. Pontifex observantiam hujus, vel illius constitutionis non ursit, sed ex iusta causâ observantiam contrariam conniventibus oculis toleravit; textum tamen nullum invenias, in quo expressè declaraverit, quod efficaciam legum suarum pendere velit a consensu populi: ergo gratis dicitur, quod penderat.*

13 **Unde nihil agis, si opponas textum in cap. 6. De cler. conjug. ubi Sacerdotes græci a voto continentie ideo immunes esse asseruntur, quod Ecclesia Orientalis votum illud non admiserit. Hinc enim male colligas, efficaciam legis Canonice pendere ab acceptatione populi: partim, quia in d. cap. 6. Pontifex non tangit questionem, penderat ne efficacia legis Canonice ab acceptatione populi: partim, quia quod ob morem antiquissimum, in Ecclesiâ orientali receptum, aliasque iustas causas, toleravit SS. Pontifex, produci non debet ad consequentias: partim denique, quia non supponit ibi SS. Pontifex, votum continentie potuisse non recipi ab Ecclesiâ Orientali. Si enim potuisse non recipi,**

recipi, Ecclesia illa habuisset jus constitutionis Canonice non recipiendæ: quod dici non potest; quia potestas SS. Pontificis totam determinationem suam juri Divino refert in acceptis, adeoque ne quidem consensu SS. Pontificis immixti potest aut restringi. Hinc licet Pontifex efficaciam legum suarum restringeret ad consensum Ecclesie, non tamen ideo juris aliquid accederet Ecclesie; quia potestas, jure Divino subnixa, minutari non potest consensu hominum.

**ASSERTIO IV.** Ne quidem efficacia legum civilium, ex indulgentiâ Principis, pendet ab acceptatione populi.

**Probatur.** Efficacia legum civilium per se non pendet ab acceptatione populi; quia summa potestas à populo Romano absolute in Principem translata fuit: ergo neque pender ex speciali indulgentiâ supremi Principis; quia sufficienter non constat, à Principe privilegium tale populo concessum esse.

Neque assertioni nostræ periculum imminet; si textum oppositas in l. 32. §. 1. ff. *De LL.* ubi ait JCtus, *legibus non alia ex causa nos temeris, quam quod iudicia populi sint recepta.* Quis enim, vel parvus in iure versatus, ignorat, legem frequenter accipit pro illâ parte juris scripti, *quam populus Romanus, senatorio magistratu interrogante, constituit*? §. 4. b. s. l. 7. princ. ff. *Dicitur Just. & iur. l. r. §. 1. in fin. ff. Ex quib. caus. major.* Procedit itaque textus oppositus de lege, in specie sic dicta; non verò de lege, quæ constitutionis principalis nomine obtinet: de hac enim longè aliter jura differunt; nempe quod ex solo Principe placito vigorem obtingeat d. §. 4. b. Quod à solo Principe condatur l. ult. §. 1. C. *De LL.* Quod omnia; quæ vel per epistolam, vel decretum, vel edictum Princeps statuit, vim legis habeant l. 1. §. 1. ff. *De const. princ.* Neque dicere possis, d. l. 32.: eo tempore à Juliano conscriptam fuisse; quo authoritas populi Romani jam decoixerat. Nam etiam tempore Justiniani nihil potestatis resedit penes populum Romanum; & tamen Princeps noster in d. §. 4. definitionem legis accommodavit ad statum popularerem Reipublicæ Romanae: cur ergo miraris, quod eodem sensu vocabulum legis in d. l. 32. Julianus acceperit?

## §. VIII.

## De effectu Legis.

## S U M M A R I A.

1. Effectus legis est, quod obligationem inducat.
2. Legislator Ecclesiasticus potest obligare in conscientia.
3. Etiam Legislator civilis potest obligare in conscientia.
4. De facto, lex omnis, propriè dicta, obligat in conscientia.
5. Quando lex fundatur in presumptione facti aliquius, qualitas, vel circumstantia, pro hoc vel illo casu, non obligat in conscientia, si factum illud vel circumstantia non subjet.
6. Quando lex non in presumptione facti aliquius, sed in morali Fertitudine universalis periculi fundatur, obligat in conscientia, esto in particulari cesset periculum, quod avertere dominaris.
7. Lex penalitatis, conjunctivè mixta, obligat in conscientia ad ipsum actum, à lege intentum.
8. Lex meritorum, aut disjunctivè mixta, obligat in conscientia ad ipsum ultimum si pena, quād minatur, sic spiritualis.
9. Lex purè penalitatis, aut disjunctivè mixta, non obligat determinatè ad ipsum actum, si pena, quam minatur, sic corporalis.
10. Pena ferenda sententia non obligat ante sententiam judicis.
11. Neque pena latæ sententia obligat, ante sententiam judicis, si actionem hominis desiderari, ut executioni detur, vel privari jure iam quæsito.
12. Quando pena latæ sententia non requirit factum hominis, ut executioni detur, usque nundim impedit acquisitionem juris novi, obligat ante omnem sententiam Judicis.

**E**ffectus legis est, quod obligationem inducat. Ubi lex præcipitas, vel prohibens secernenda à pœnali. Pœnam quandoque lex ipsa infligit, quandoque relinquit condemnationi judicis. Prior latæ sententiaz: posterior ferendæ sententiaz nuncupatur. Pœna latæ sententiaz desiderat quandoque actionem hominis, ut executioni detur, quandoque non. Sic pœna centum aureorum, quam delicto lex præstituit, requirit actionem meam, ut executioni detur. Contra, inhabilitas ad beneficium, vel Officium, consurgere in me potest, absque hoc, quod accedat factum meum. Illud quoque advertendum, pœnam quandoque privare jure jam quæsito, quandoque impedire acquisitionem juris novi. Sic v.g. si delictum committam, cui publicatio bonorum præstitura, pœna me privat jure jam quæsito. Contra, si delictum admittam, cui pœna infamiaz annexa, lex viam mihi præcludit ad dignitates, adeoque impedit acquisitionem juris novi. Lubet, jam nervos intendere, ac citato cursu ad metam veritatis tendere.

**ASSESTO.** Legislator Ecclesiasticus potest obligare in conscientia. Ita omnes.

**Probatur,** partim ex variis Scripturæ locis, puta Marsh. 18. Act. 15.

& Joan. 21. quæ testimonia evidenter probant, quod Ecclesia potestatem habeat, præcipiendi aliqua sub peccato: partim ex usu Ecclesiæ, quæ potestate hac frequenter est usa: partim denique ex communi sensu fidelium, censentium, quod statutis temporibus teneantur abstine-re ab esu carnium, subjecere scelera sua clavibus Ecclesiæ &c. quæ omnia evidenter probant, quod Ecclesia potestatem habeat obligandi sub peccato.

ASSERTIO II. Etiam Legislator civilis potest obligare in conscientiâ. Ita rursus ortus fani. 3

*Probatur.* Etiam Legislator civilis fert leges, tanquam minister Dei, ac vi potestatis, à Deo acceptæ: ergo etiam Legislator civilis obligare potest in conscientiâ; quia, dum præcipit aliquid, præcipit nomine ipsius Dei, qui voluntatem suam accommodat, ac declarat, graviter disciplinare sibi, quod ille graviter voluit esse prohibitum. *Confirmatur.* Vis obligandi in conscientiâ omnino erat necessaria ad congruam & convenientem gubernationem Reipublicæ; quia sine hac potestas ferendrum Legum foret, aut inefficax, aut frustranea, dum poenas, Legibus impositas, vi, aut fraude plerique eluderent: ergo debuit in Legislatorem civilem potestas conferri, obligandi in conscientiâ; quia pertinebat ad providentiam Dei, omnem illam potestatem consignare Legislatori civili, quæ moraliter erat necessaria ad convenientem gubernationem Reipublicæ; cum Deus & natura non deficiant in necessariis.

ASSERTIO III. De facto, Lex omnis, propriè dicta, obligat in conscientia. Ita Suarez Lib. 3. De LL. cap. 22. n. 9. Palao par. 1. tract. 3. disp. 1. punt. 1. 4. n. 4. Estabil. lib. 4. Scient. Can. cap. 8. quæst. 6. §. 2. n. 3. Clariss. Dr. P. Paul Mezger disp. Theol. De Leg. cap. 5. §. 1. n. 4. 4

*Probatur.* Nulla datur Lex, propriè dicta, quæ obligationem non inducat; quia omnis Lex, propriè dicta, supponit potestatem, & voluntatem obligandi; quâ stante, implicat, obligationem non induci: ergo nulla datur Lex propriè dicta; quæ non adstringat in conscientiâ, quia positâ obligatione, recta ratio continuò insurgit, ac enuntiat, id agendum esse, aut omissendum, ad quod Lex obligat. *Confirmatur.* Implicat, à Superiori ferri legem, propriè dictam, & non præcipi aliquid; quâ implicat, præceptum non esse præceptum: ergo implicat, positâ

Lege, non induci obligationem in conscientiâ; quia implicat, autoritatem non constare Legi Divinæ, imperanti, ut assurgamus voluntati Legitimi Superioris.

**5** **ASSERTIO IV.** Quando Lex fundatur in præsumptione facti alii-  
cuius, qualitatis, aut circumstantiæ, pro hoc, vel illo casu, non obligat  
in conscientia, si factum illud, ait circumstantia non subsit.

*Probatur.* Quando Lex fundatur in præsumptione facti alicuius,  
vel circumstantiæ pro hoc, vel illo casu, actio præcepta non absolu-  
lute cadit sub legem, sed sub circumstantiâ, in cuius præsumptione Lex  
fundatur: ergo si circumstantia illa non subsit, vim obligandi Lex non  
obtinet, quia finis adæquatus eius tunc deficit. *Confirmatur.* Lex iubens,  
ut obsequar sententia judicis, non obstringit in conscientia, si certò sci-  
am, sententian esse injustam; quia Lex illa non absolute obligat, sed sub  
hac circumstantiâ; *nisi manifesta iniquitate sententia laboret:* ergo Lex,  
fundata in præsumptione facti alicuius, vel circumstantiæ pro hoc, vel  
illo casu, non obstringit in conscientia, si factum illud, vel circumstan-  
tia non subsit.

**6** **ASSERTIO V.** Quando Lex non in præsumptione facti alicuius,  
sed in morali certitudine universalis periculi est fundata, obligat in con-  
scientia, esto in particulari cesset periculum, quod avertere Lex vo-  
luit.

*Probatur.* Lex, quæ submovendis incommodis connubii clancu-  
culati, ad matrimonium requirit præsentiam parochi & testium, obli-  
gat in conscientiâ, esto connubium, quod pangere desidero, substare  
non videatur illis incommodis; quia matrimonia clancularia per se sunt  
obnoxia magnis incommodis; adeoque, licet in hoc, vel illo parti-  
culari casu cessare videatur periculum, manet tamen periculum univer-  
sale, in cuius morali evidentiâ Lex fundatur: ergo quando lex fun-  
datur in morali certitudine universalis periculi, obligat in conscientia,  
esto periculum hic & nunc desinat; quia manet periculum universale,  
arque adeò manet honestas Legis, cum finis adæquatus eius non desi-  
nat.

**7** **ASSERTIO VI.** Lex pœnalis, conjunctivè mixta, obligat in con-  
scientiâ ad ipsum actum, à Lege intentum, si de contraria intentione  
Legis-

Legislatoris non aliunde constet. Ita Suarez Lib. 5. De Leg. cap. 3. n. 6. Palao par. 1. disp. 1. punct. 15. n. 8. Sanchez Lib. 6. in Decal. cap. 4. n. 60. P. Haenold tract. 1. de Just. & Jur. cap. 1. contr. 5. n. 25.

*Probatur.* Legislator humanus potest obligare in conscientiâ ad actionem, comminatione poenæ circumscriptum; & si utatur verbis præcipientibus, aut prohibentibus, satis declarat, quod hoc modo velit obligare: ergo Lex poenalis, conjunctivè mixta, obligat in conscientiâ ad ipsum actum. *Confirmatur.* Quando Legislator utitur verbis mere præceptivis, aut prohibitoris, mentione poenæ non subjectâ, inducitur obligatio in conscientiâ; quia vocabulum præcepti, ex constanti praxi Pontificum, & Conciliorum generalium, ac communî usu omnium peritorum, significat obligationem conscientiæ: ergo inducitur etiam si mentionem poenæ subnectat; hæc enim non eo fine apponitur, ut obligatio legis mitigetur, sed ut exasperetur.

**ASSERTIO VII.** Lex, mere poenalis, aut disjunctivè mixta, obligat in conscientiâ ad ipsum actum, si poena quam minatur, sit spiritualis. Ita Suarez, Sanchez, Palao.

*Probatur.* Poena excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, infligi non potest, nisi præcesserit culpa mortalis, aut venialis: ergo si poenas has minetur Legislator, satis declarat, quod actum prohibere velit sub culpâ mortali, aut veniali.

**ASSERTIO VIII.** Lex, purè poenalis, aut disjunctivè mixta, non obligat determinatè ad ipsum actum, si poena, quam minatur, sit temporalis. Ita Suarez d. loc. n. 9. Sanchez ubi supr. n. 60. Palao cit. loc. n. 10. Clariss. Dn. P. Paulus Mezger Disp. Theol. De Leg. cap. 5. §. 1. n. 5. & 6.

*Probatur.* Quando Legislator utitur verbis mere poenalibus, aut disjunctivè mixtis, sufficienter non declarat, quod in conscientiâ obligare velit ad ipsum actum: ergo obligare velle non censetur; contra eum enim, qui legem dicere potuit apertius, facienda interpretatio cap. 57. De R. J. in 6. *Confirmatur.* Quando Legislator utitur verbis mere poenalibus, aut disjunctivè mixtis, dubium versatur, velutne obstringere in conscientiâ ad ipsum actum: ergo obstringere velle non censetur; semper enim in dubio preferenda pars initior & benignior l. 9. l. 56. l. 192. §. fin. ff. De R. J. Neque turbat, quod poena omnis supponere videatur

videatur culpari, cùm sit coercitio culpæ. Non enim supponit neceſſariò culpam Theologicam, sed contenta est culpâ civili & politicâ. nam ad justitiam pœnæ sufficit causa justæ, licet culpa desit *arg. cap. 23. De R. J. in 6.* Hæc causa vero, tametsi quandoque non sit culpa apud Deum; est tamen respectu humanæ Communilitatis, seu Reipublicæ; quia discordare partem à toto quoad observantiam legum civilium, satisculpam aliquam civilem & politicam; quæ sufficit ad justitiam pœnæ legalis.

**ASSERTIO IX.** Pœna ferendæ sententiae non obligat ante sententiam judicis.

*Probatur.* Pœnam ferendæ sententiae non infligit lex ipsa, sed relinquunt determinationi judicis: ergo ante sententiam judicis pœna hæc non obligat.

**ASSERTIO X.** Neque pœna latæ sententiae obligat ante sententiam judicis, si actionem hominis desideret, ut executioni detur; vel privet jure jam quæſito.

*Probatur membrum primum.* Lex non debet esse nimis acerba, neque osius imponere, quod moraliter sufferre nequeas: ergo quando lex imponit pœnam, cuius executio desiderat actionem delinquentis, non obligat ante sententiam judicis; quia durum foret admissio delicto, pœnam se ipsum offerre.

*Probatur membrum secundum.* Esto hœc hæreticorum ipso jure fisco sint obnoxia; tamen non aliter publicantur, quæm si eo nomine lata sit sententia *cap. 19. De hæret.* ergo hæc duo bene stant simul, pœnam ipso jure committi, ac executionem pœnæ pendere ex Sententia judicis. *Confirmatur.* Pœnae interpretatione molliendæ sunt potius, quæm asperandæ *l. pen. ff. De pœn.* ergo esto verba, *ipso jure*, vel similia in lege occurrant, adhuc tamen benignè exaudienda est, ac existimandum, id velle Principem, sufficere nimarum sententiam, quæ crimen declaretur, nec requiri sententiam, quæ pœna dicteretur.

**ASSERTIO XI.** Irregularitas ex idelicto, excommunicatio, ac censuræ alia, vim suam exerunt, licet sententia judicis non præcesserit.

*Probatur ex can. Si quis 29. can. 17. quest. t. & rot. tit. De sent. excommunicaz.* in quibus locis perspicue indicatur, absque omni sententiâ judicis censuras

censuras stringere. Neque mirum! cum enim Ecclesia Spiritu le bonum animarum pro fine habeat, conveniens erat, ut remedium haberet, cuius metu à delictis etiam occultissimis subditos suos abduceret.

ASSERTIO XII. Quando pena nudè impedit acquisitionem juris novi, obligat ante omnem sententiam judicis.

*Probatur.* Res publica est jurium ac bonorum suorum Dominus: ergo sicut quilibet privatus potest rei suæ legem dicere; sic quoque Res publica potest nolle bona sua aliter largiri, quam si hæc, vel illa conditione impleta fuerit. Hinc, qui abest à sua Ecclesiâ pro modo abstentia fructus suos non facit; quia jus Canonicum sub lege residentiæ illos defert; quam conditionem proinde si non impleat, voluntate propriâ viam sibi ad emolumendum fructuum præcludit. Plura exempla adduit *Palao tract.* 3. *disp.* 2. *punct.* 2. *n.* 7. quem consule.

O. A. M. D. G.







